

Johann Cothmann Johannes Corfinius

Disputatio Theologica Solennis De Reconciliatione Hominis Cum Deo Facta Per Jesum Christum

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738380601>

Druck Freier  Zugang



Ru. Med 1650

Lothmann, Johann-^{la}

Corpius, Johannes

mit Programm (2x)

DISPUTATIO THEOLOGICA
SOLENNIS
DE
RECONCILIATIONE
HOMINIS CUM DEO FACTA
PER JESUM CHRISTUM,

26

Quam
Ex Decreto Venerabilis & Amplissimæ
Facultatis Theologicæ in florentissi-
mâ Rostochiensî Universitate,

MODERATORE ET AUSPICE
JESU CHRISTO,

Reconciliatore nostro Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO

MAGNIFICI p. t. RECTORIS

Viri Plurimum-Reverendi & Excellentissimi,

DN. JOHANNIS COTHMANNI,
S. S. Theol. D. & Professoris, Facultatisq;

Theologicæ Senioris celeberrimi, h. t. Spectabilis
DECANI, Dn. Collegæ pl. observandi.

Pro Licentiâ impetrandi Honores Theologicos,

M. JOHANNES CORFINIUS, Rost.
Pastor Marianus & Phys. Profess. Publ.

*Ad diem IX, Maij in Atrio Magno horis ante- &
pomeridianis Doctorum examini discutiendam submittit.*

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Anno 1650.

Sum. de materia in facris celebrat.

VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, ET
AMPLISSIMIS,
DN. CONSULIBUS
ET
SENATORIBUS
Inclytæ Rostochiensis Reipubli-
cæ, Patriæ meæ Proceribus
Spectatissimis,


Dnn. Fautoribus officiosè suspiciendis,

Cum voto perennantis prosperitatis, & justissimi,
florentissimiq; regiminis,

Hanc Disputationem Inauguralem

Dicab. Consecrab.

M. JOHANNES CORFINIUS,
Rostochiensis.



I. N. D. I. C.



Um gratia Dei saluifera non illuxerit Angelis Tit. II. v. 11
peccantibus, & in tartarum detrufis, fed homi- 2. Pet.
nibus illiq; omnibus, meritiſſimè ab hac illuce- II. v. 4.
ſcente gratia cuncti mortales ſerio erudientur,
non duntaxat ad vitæ inculpata imboatio-
nem, ſed cum primis ad diuine virtutis & beni- 1. Pet. II;

gnitatis prædicationem: ſive etenim abjectiſſimam reſpiciant re- v. 9.
nebrarum miſeriam, & truculentiſſimam Principis mundi ty-
rannidem, ex quâ feliciter diuinâ clementiâ ſuccurrente eluctati
ſunt, ſive ineffabilem ponderent miſericordiæ abyſſum, quod ad ſi-
lij DEi communionem ſint vocati, & adoptionem atq; heredita- 1. Cor. I.
tem præſtolentur caeleſtem, nulliq; ſæculis terminandam, habent v. 9.
profectò ſatis abunde cuncti à Chriſto redempti mortales, quod
eloquiis perpetuis decantent. Nam velut in Eccleſia triumphante
univerſus electorum chorus Agno occiſo ſalutem acceptam re- Apoc. c.
fert, atq; pro cruore effuſo devotas occinunt laudes, ita & in caſu V. v. 9.
militante ſinguli exultabunt, quod per ſanguinem Agni haud
ſolum Deo reconciliati, ſed caeſti adoptione præterea donati ſint.
Tantam verò ſalutem ſuſq; deſq; habentes æquò effugient? cum
alia quidem hoſtia præter unicam illam in cruce oblatam haud-
quaquam ſit reſidua, ſed Φοβεσθι ενδοχην νεκρωσ υγι πρὸς ζην &
monente ſpiritu Ebr. II v. 3. & c. X. v. 26. Verantamen ſunt nihi-
lominus nec illi quidem rari hoſtes crucis & Reconciliationis per
JESU ſatiſfactionem facta, qui reiſa Dei Unigenam conculcan-
tes ignominie exponunt, neq; vitæ ſolummodo pravitate, ſed &
dogmatum falſitate ſanctiſſimum fæderis ſanguinem profanum
reddere ſatagunt.

Horum auſus ut ex imis penetrabilibus deſceſtemur pietas imperat,

& reciproce veritas cœlitus patefacta excitat, ut defraudanti-
um seductorum glaucomata pro virili propulsemus, ne radice
istiusmodi amarior suppululans nos obturbet, & per illam inqu-
nemur. Quovis proinde thesauro cœterior erit Dogmatis de S. S.
Redemptione & Reconciliatione puritas, & ut hanc gratia divina
scaturiginem limpidissimam conservemus opere maximo anui-
tamur fas est. De isto arduo satis & præterea utilissimo Recon-
ciliationis articulo, cum aliquid dicendum fuerit ex Venerabilis
Theologica Facultatis Decreto, Reconciliatorem nostrum
unicum Opt. Max. devotis sollicitamq; precibus, ut veri-
tatis spiritu nos roboret, quò omnia in æternum Numi-
nis honorem, & exoptatissimam animarum cum Deo re-
conciliationem & unionem vergant!

THESES I.

Dogma Reconciliationis in S. Codicis visceri-
bus solidissime fundatum esse, nulli inficiabuntur, nisi men-
tem habeant à principe tenebrarum obscuratam, sive enim
Voces ipsas expendamus in linguis Originalibus scripturæ
hanc Reconciliationem exprimentes, sive Phrases æquipollentes, sive
Rationes ex fidei analogiâ deductas, suâ profectò luce Articuli hujus im-
mota veritas abundè radiabit.

§. 2. In Ebræâ litteraturâ offendimus præprimis Radicem קָנָה
quæ in Piel denotat Placare, Reconciliare, Expiare, & delicta remittere,
quod ex scrutinio locorum Biblicorùm Exod. c. XXX. v. 10 Gen. c. XXXII.
v. 20. Esa. c. XXII. v. 14. & aliorum plurimorum evidenter patebit.

Præsertim hac voce Gentium Doctor in N. T. usus est, Rom.
V. v. 10. 2. Cor. c. V. v. 18, 19, Eph. c. II, v. 16. & Colof. c. I. v. 20. 21. ubi
in prioribus locis occurrit vox *κατελλάττειν*, in posterioribus verò vox
δοκασατελλάττειν, quæ voculæ ejusmodi exprimunt reconciliationem,
quâ partes dissentientes ad mutuam benevolentiam perducuntur, atq; ami-
citiâ invicem rursus copulantur, qualem in statu conjugali commenda-
vit Apostolus 1. Cor. c. VII. v. 11, Per hanc etenim reconciliationem inimi-
citiâ antiquabitur, & rixa senescet, pristina verò benevolentia restitue-
tur in integrum, intercedente partis offensæ placatione, adeoq; olim
offensus

offensus per *καταλλαγήν* fiet qf. *ἀλλ.* non resp. sui sed alterius offendentis. In Latio verba conciliandi & reconciliandi usu recepta novimus, quæ à nonnullis derivantur à concilio Vide Beckmannum in Origin. Ling. Lat. p. m 367. Aliis autem placet verba esse antiqua fullonica, à ciliis dicta, namq; Varrone teste, apud fullonem vestimentum cum cogitur conciliari dicitur. Designat verò vel *illimitatè quamvis comparationem* & acquisitionem, hinc quisquam sibi pacem vel affinitatem conciliare dicitur, vel *limitatè benevolentia comparationem* importat, dum, quis alium reddit benevolum, atq; in pristinam reducit gratiam. Conf. Valh. l 5. Eleg. c. 35.

§. 3. Ejusmodi Reconciliatio intercessit inter Deum offensum & Hominem offendentem, quam suâ satisfactione, & lytri solutione Christus impetravit, quamq; enucleatius ex scripturâ depromere operæ erit pretium. Sarcasticè hunc gratiæ thesaurum excipiunt Socini asectæ hinc in *Racoviensium Catechesi* hæc reperimus themata: Esti nunc vulgò Christiani sentiunt Christum morte suâ nobis salutem meruisse, hæc tamen sententia fallax est & admodum perniciofa, *Ostorodus* verò hanc velut opinionem olentem superstitiosas & Papiificas fabulastraducit. Cæterùm appositè *Hugo Grotius* monet. I. de satisf. c. 7. non de solis vocibus & terminis disputationem esse institutam, cum passim profiteatur Socinus à se non vocem nudam Satisfactionis, sed rem ipsam eâ voce expressam oppugnari, itaq; hæc omnia, Christus morte suâ Deum nobis reconciliavit, Christus nos è manibus justitiæ divinæ, sanguinem suum redemptionis nostræ pretium illi dans liberavit, Christus scelera nostra suâ obedientiâ compensavit, Christus ut remissionem peccatorum nobis largiretur dignè commertus est, Christus vitæ jacturâ DEI iram nobis placavit; non minus quam ipsam satisfactionis vocem repudiat.

§ 4. Ad certos verò futuram nostram *Abolitionem* redigemus cancellos, ne diffusâ controversiarum in hoc articulo agitarum mole obruamur. *D. Meissn. in Confid. Theologia Photin.* c. 5. p. 83i. Reconciliationem hæc 5. connotate declarat (1) Peccatum nostrum quo Deum offendimus (2) Indignationem Dei ex offensâ profectam, (3) Amissionem gratiæ loco pænæ inflictam (4) Placationem Dei & restitutionem gratiæ (5) Placationis medium meritorium, quod Apostolus vocat sanguinem crucis Col. c. 1. v. 20. Nos quatuor Membris Orthodoxiam nostram stabiliemus, atq; virus heterodoxias, examinatis in simul adversantium insultibus, revelabimus.

§. 5. Membr. I. silet Hominem reconciliandum,
Coniunctissima quondam fuit Hominis unio cum Jehovah conditore,
ante Adamiticam transgressionem, quam nisi delinquendo dirupisset
Parens noster, nullâ unquam opus fuisset Reconciliationis; Verùm citissi-
mè homo deflectens gratiosæ unionis & inhabitationis donum penitus
amisit, adeoq; pristinam eminentiam miseria excepit lamentabilis. Con-
formitas cum Archetypo hominem reddebat olim felicissimum sancti-
monia juxtâ ac justitiâ florentem Eph. c. IV, v. 24. cum facultatum sin-
gularum suavissima esset cum Deo harmonia. Sed per tristissimam a-
postasiam ex Dei ministro omniumq; terrestrium creaturarum domino,
homo factus fuit mancipium Sathanæ servi omnium abjectissimi ser-
vus, & planè privatus est favore S. S. Triados.

§. 6. Reconciliatione ergo etiam atq; etiam opus fuit, non soli
duntaxat Protoplasto, sed & singulis ne potibus successuris, si gratia qui-
dem Numinis offensa possibilis non esset reducenda, & hujus Reconcilia-
tionis necessitas non ex mutatione conceptus divini (quasi revocasset absq;
ullâ intercedente offensa gratiam homini in foedere perseveranti pro-
missam, haud quaquam etenim scædifragus est Deus noster gloriosus, &
ejusdem dona sunt ἀμεταμέλητα Rom. c. XI. v. 29.) sed ex avulsione
generis humani orta est, Velut enim primus hominum parens univer-
sum genus humanum revera repræsentavit, ita & singuli ad imaginem
Adamiticam geniti filij verè non putativè de primâ illâ apostasiâ parti-
ciparunt, & consequenter omnes Judicis justissimi odium in se derivan-
tes, Reconciliatione verâ non putativâ indiguerunt.

§. 7. Primum ergo peccatum prima nostræ corruptionis & cala-
mitatis scaturigo fuit, & ex illâ lernâ omnis generis infortunia in no-
strum genus derivata sunt, quippe hic est fons venenatus, Jer. c. VI. v. 7.
& mala arbor Math. c. VII. v. 17. Atq; hoc est peccatum istud in quo
Persona corripit Naturam. Nam tres sunt peccati species juxta Bonæ
venturam. Quoddam peccatum est in quo persona corrumpit naturam, &
hoc est peccatum primi hominis; quoddam in quo Natura corrumpit perso-
nam & hoc est Originale; quoddam in quo persona corrumpit se ipsam &
hoc est Actuale, cujus vicissim multæ sunt species.

§. 8. Cum verò in exactiori exploratione originalis apostasiæ pluri-
mum momenti relideat, quâ in dubium vocatâ necessitas Reconciliatio-
nis suâ sponte corruet, & quantuscunq; labor probationi ejusdem im-
pende-

pendetur, nihilotenus omnino erit frustraneus, res ipsa colligunt, & hunc miseria & calamitatis nostrae fundum impensius lustremus. Proinde circa hanc avulsionem & apostasiam originalem ponderabimus

I. Avulsionis Originem, nunquid Deo ullâ ex parte eadem ascribi queat num verò deceptæ voluntati humanæ sit tribuenda? Prius assertum plurimi ex antiquioribus ingenti blasphemiâ propugnarunt, Principem erroris fuisse illum qui simpliciter Primus dicitur omnium hæreticorum sc. *Simonem Magum* Bellarm. affirmat l. l. de statu peccati cap. 1. citatq; verba Vincentij Lirinensis, *Quis ante Magum Simonem Apostolicâ districtione percussus, à quo vetus ille turpitudinum gurgis usq; in novissimum Priscillianum continud & occultâ suceessione manavit, auctorem malorum id est scelerum flagitiorumq; nostrorum ausus est dicere creatorem Deum?* Deinde *Cerdensias, Marcionistas, Priscillianistas, Manichæos*, hunc errorem sparsisse, & eundem imprimis à *Florino*, Montani discipulo publicè divulgatum esse l. c. Bellarm. docet, & addit, Eundem fuisse plusquam hæreticum, cum id ausus fuerit palam asserere, quod nullus hæreticorum publicè asseruerat. Idem propemodum non verentur asserere & tueri, qui Calvini castra sequuntur, namq; sequentia jamdudum orbi exposuerunt emblemata, *Calvin. l. 3. Instit. c. 23, §. 7. Cunctos mortales in unius hominû Personâ morti æterne mancipatos fuisse, Scriptura clamat, Hoc cum Nature ascribi nequeat, ab admirabili DEI consilio profectum esse minimè obscurum est* Et paucis interpositis, *Iterum quæro unde factum est, ut tot gentes una cumeorum infantibus æternæ morti involveret lapsus Adæ absq; remedio, nisi quia Deo ita visum est, Decretum quidem horribile fateor. inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit DEUS, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, & ideo præscivit quia Decreto suo sic ordinarat. In Comment. Genes. c. 3 hæc habet; Flexibilem DEUS hominem creavit, tentari non modò passus est, sed & voluit. Nam & serpentis linguam diabolo, præter ordinarium usum commodavit, quemadmodum si quis alteri gladium & arma suppediret, cum infelix eventur illi esset præcognitus, remedium quale poterat non attulit. Hæc singula dilucidius interpolare placuit Beza in Colloq. Mompelg. p. 123. Justitiam, ait, nam DEUS declarare non potuisset nisi cum ad æternam damnationem destinasset. Et p. 525. Non temere cecidit homo in integro statu constitutus, Si non temere certè ex providentiâ DEI, quia evenire oportuit quod DEUS decrevit, qui in hominû lapsu sibi viam & rationem qua sivit,*

et gloria ejus in declaratione misericordiae & justitiae sua manifestaretur.
 Et paulo post, *Ut DEUS finem creationis hominis consequeretur, oportuit Hevam & Adamum per Satanam decipi, ut misericordiae in condonando delicto locus esse posset.* Conspirant cum his Zanchius, l. 5. de Nat. DEI p. m. 736. *Fatemur factum fuisse DEI consilio & voluntate ut Adamus lapsus sit & ut nos omnes in hanc conditionis miseriam, qua nunc sumus irrevirti, deciderimus,* Martyr, in L. C. Piscator in Disput. de praedestin. Aliorum qui essata expendere gestit, adeat Dn. Hütter, in Iren. p. 261. & Menzerum in Exeg. A. C. p. 510, & 31. Meiss. Ant. Dec. 1 D. 3 q. 4.

§. 9. Nunquam autem potuit vel poterit animus satis abhorrere à crudis & insulsis istis assertis, quæ quamvis nonnulli modernorum paliare, & mitigate satagant, alii tamen absq; fūco animorum sensa exprimentes eandem Thesin adhuc dum propugnant, quod ex nuperrimis Thematibus Belgici cujusdam Theologi celebratissimi ad oculum declarare in promptu est. Emunctioris naris qui sunt, omnino ab hac discedunt sententia Dd. Calviniani. *Musculus* in L. C. ait, *Nostrum est hanc omnipotenti & justissimo DEO simpliciter dare voluntatis libertatem & justitiam, ut nihil velit aut faciat, immo ne facere qui dem possit, quod sit malum, quomodo enim inestimabili illa divina bonitas Nature mali aliquid vellet, amaret aut faceret?* Rivet, Disp. de Pecc. primo, *Non absurdum est concurrere aliquid ad actionem, non tamen ad actionis inordinationem,* Franciscus Junius hanc quoq; reliquorum blasphemiam satis refellit, dum astringit, *In nostris actionibus affecti vitium à principio proximo. quæ verò supra sunt nullà in culpâ esse, quandoquidem causa bone sit bonus effectus.*

§. 10. Nullà verò ratione DEO Optimo, & Justissimo Adamicæ Apostasiæ & lapsus excitatio, origo, & cooperatio ascribi poterit, Luculenter hoc evincere promptum est, partim ex *Historicâ descriptione*, ubi offendimus Deum sub mortis comminatione lapsum prohibuisse, Gen. c. II. vers. 16, 17, & c. III. vers. 11. omnesq; causas ad lapsum concurrentes severâ puniisse vindictâ, Gen. c. III. vers. 14, 15, 16, Nunquam vero amator veritatis astruet, Deum illa opera decernere, excitare, adjuvare, quæ ipse non saltim prohibet, sed quorum causas etiam pænis afficit. Hac ratione enim idem objectum & vellet & non vellet, voluntatemq; in seipso reconditam habet, quæ revelatæ voluntati protus contrariaretur, quæ dicta & auditu absurda esse, quivis dignoscet; partim ex *Difformi Scripturæ evolutione*, quibus apertissimè negatur Deum peccata

cata

eata velle. Expendantur loca Pl. v. v. 3. Pl. xi, v. 6; & Zachar. viii.
 17. Jac. c. l. v 13, Quamvis etenim ab ipso rerum primordio Jehovah
 naturam conservavit universam, adeoque actionum à creaturis effecta-
 rum certo modo autor sit, attamen ad ἀταξίαν promovendam nullatenus
 concurrat, absolutissima enim DEI Sanctitas & Bonitas hoc pun-
 quam admittit. Hoc non tantum agnovere Orthodoxi Patres, & primi-
 tivæ Ecclesiæ lumina, Nazianzen. DEUS nullo modo causa est peccati,
 quippe naturâ bonus, vitiumq; ejus est qui eligit. Chrysoft. Satius fuerit sex-
 centies defodi, quam Deum audire talia per nos, Augustin: Omnino non
 invenio, non inveniri posse, & prorsus non esse confirmo, quomodo retribu-
 antur peccata nostra Creatori: sed ipsi gentilium Doctores defectu rationis
 eousq; pervenerunt, ut veriti sint Numini attribuere originem mali, ita
 enim Plato, Bonorum quidem solus DEUS causa est, malorum autem quam-
 libet etiam præter Deum causam querere decet, Nā malorum causam alicui
 esse Deum. refellendum est omnino, nec permittendum hoc quenguam di-
 cere in sua civitate Argumenta quæ pro illâ sententiâ è Scripturâ de-
 promuntur examinata reperies apud D. Chemnit. L. de causa Peccati p. m.
 190. & seq. Præsertim consule Franzium in Tractatu de Interpretat. Scri-
 ptura.

§. II. Instas; Causa tamen secunda nihil potuit efficere absq; influxu
 Causæ primæ, proinde neq; Adam quicquam potuit absq; DEI influxu;
 Sed dudum hunc retorserunt arietem veritatis athletæ, qui rite illustrent,
 Causas secundas subordinatas rectè sese habentes nihil quicquam posse
 absq; causâ primâ, quantisper rectè agunt, Sed in ἀταξίᾳ atq; vitio pro-
 movendo nimium quantum valet Causa secunda absq; primâ; Intuere
 claudicantis progressum & motum, ubi duo offendes, quorum alterum est
 motus s. ipse incessus, alterum defectus in illo ipso incessu: Motus clau-
 dicantis est à potentiâ locomotivâ, cujus beneficio claudus æque gaudet
 ac cæteri concinnè progredientes; Defectus verò in incessu atq; ipsa
 claudicatio non facultati & virtuti motivæ, sed luxationi tibiarum ascriben-
 da; Sicut ergò defectus claudicationis reducitur non in virtutem mo-
 tivam, sed in tibiam curvam, cum tamen à potentiâ locomotivâ cause-
 tur quicquid est motionis in claudicatione; Consimilem in modum de-
 defectus secundæ causa non est reducendus ad Causam primam, quæ qui-
 dem causa, est quod secunda agat, sed non est causa quod vitiosè agat, s.
 quod actiones secundæ causæ sint cum defectu, Sed sicut locomotiva tibi-
 am

B

biam

Prima movet qualis est, & talis quoq; incessus est, ita & Deus Naturam sustentat qualis est. Atq; hoc simili D. August. suo sæculo usus fuit citante D. Chemn. l.c. p. m. 170. Alij rem illustrent à *Two Phœnix cytharæ* pulsata, cœteri ab inordinato *motu automatam*. Largimur ergo ad omnes actiones causarum secundarū concurrere primam, sed inficiamur eodem modo ad singulas concurrere, *Ad bonas enim non solum sustentando sed & adjuvando & operando concurris, In malis verò licet naturam sustentet, nequaquam tamen adjuvat voluntatem ruentem contra divinum ordinem, Namq; prima Causa rectè se habens movet secundas ita, ut nihil agat adversus seipsam, adeoq; ad malum non movet, quia hoc est contra Causam omnium primam quæ est ipse Deus.*

§. 12. *Obvertis, Denm nihilominus lapsum & avulsionem impedire potuisse, & vigore bonitatis debuisse, quomodo apostasia non fuisset commissa, dum modo tentationem non permisisset, ex quâ tantum præsciebat malum esse oriturum. Sunt qui censent Dei omnipotentiam, Providentiam, Justitiam, Misericordiam, pulchritudinem Universitatis ex permissione tentationis emicuisse, quos suo relinquimus loco. Pet. Molinaus citante D. Dorfb. in Disput. de Rapin Majestati §. 17. statuit, bonum esse non potuisse, nisi & malum esset, hinc astruit; Si malum non esset, non cognosceretur quid sit bonum, & nec justitia quæ punit, nec misericordia, quæ ignoscit, cognita fuissent, nisi malum esset, & dum ignoratur misericordia & justitia DEI, Deum perfectè cognosci, & proinde perfectè amari non posse. Sed meritissime hæc tanquam à vero abluentia repudiantur, Nam positus his assertionibus, sequitur malum facere per se, ad cognitionem boni requiri, & per se bonum esse ut malum sit, sequitur etiam necessarium esse ut malum sit, & bonum esse non posse nisi malum sit. Pulchrè August. de permissione tentationis hæc attulit: *Cur non permitteret DEUS ut ab Angelo malo primus homo tentaretur, quandoquidem sic erat institutus, ut si de adjutorio DEI fideret bonus homo, malum Angelum vinceret? Chrysostr: Manifestum, inquit, Deum noluisse Adam peccare, qui voluit eum ante delictum præstruere, Potuit Adam DEO parere quod noluit, quia consentire diabolo maluit.**

§. 13. Cum remota sit sententia quæ ad Deum Opt. lapsus originem refert, relinquitur, quod humanæ voluntati à dæmone deceptæ sit tribuenda, Gen. c. III, v. 6. Rom. V. v. 12. Licet enim voluntas à DEO esset creata cum naturali ad bonum propensione, nihilominus libera erat, facul-

facultatemq; habebat à bono sese avertendi; Assensus verò vitiosi voluntas quidem causa fuit, non tamen quâ voluntas, aut quâ bona, sed quâ vitiosa, vel quatenus sponte à lege deflectebat, vitium namq; in voluntate, non ab ipsâ voluntate per se, sed per accidens fluxit. Præcessit, autem hunc appetitum error in intellectu, qui ratus est bonum esse, quod minimè fuit tale; Judicium verò istud falsum ex diaboli persuasione oriebatur. Veruntamen seduxit Tentator hominem, non intrinsecâ voluntatis humanæ ad peccandum determinatione, sed adornatâ fraudulentâ svasione, bonitatem objecti demonstrati mirificè amplificando, ut hominis desiderium ad defectum excitaret, & in flagitii societatem fleckeret, Fusiùs illa explanantem vide *D. Meiss. l. c. d. 4. q. 2.*

§. 14. Examinatâ avulsionis Origine, deveniendum est (2.) ad Propagationem s. derivationem, & videndum quomodo hæc gangrana serpere potuerit ad posteros. Orthodoxi præviâ Scripturâ demonstrant, per carnalem generationem hoc originale malum ab Adam in omnes & singulos posteros, ne embryo quidem in utero matris excepto Job. c. XV. v. 14. Psal. LI. v. 7. (sed solo & unico Salvatore tantum exempto Dan. c. IX. v. 2. Luc. c. I. v. 35.) propagatum esse, nam uti Adam in lapsu tristissimo universum genus humanum representavit, & primo delicto non propriam tantùm personam, sed & naturam ipsam corripit, ita eandem peccati originali infectam posteris communicavit. Corrobórari ista queunt examinatis locis Gen. c. V. v. 3. Joh. c. III. v. 6. Eph. c. II. vers. 3.

§. 15. *Pelagius* suo seculo (vixit autem ut in aprico est, sæculo quinto Anno 415. & à *D. Augustino*, qui illius *ὄντο* erat, masculè fuit refutatus, illiusq; errores introducti in Ephesinâ Oec. Synodo sunt exterminati, de quo consulatur *Hist. Ecclesiastica*) deliravit peccatum transire tantùm exemplo & imitatione. Rationes verò partim ex promptuario Philosophico rationis, partim ex Scripturæ gazophylacio desumptas, examinatas & discussas evolve apud Chemn. *L. L. C. C. p. m. 262*, & seq. *Edir. Francof. in quarto. & alibi passim.*

§. 16. *Socino* ludicrum hoc videtur assertum: de propagatione delicti & corruptionis originalis, *Quomodo, ait, sine propriâ culpâ periret genus humanum, quod ne perire quidem potuit, cum adhuc nondum esset.* Cum verò sibi obstare animadverteret locum Ebr. c. VII, v. 9. eundem hoc diluit responso, quod in isto ratio essendi vera non indigetur, idq;

ex vocibus adjunctis $\omega\varsigma \epsilon\pi\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\lambda\epsilon\iota\tau\alpha\iota$ colligere satagit. Verum sive antecedentem Adami conditionem, ponderemus; qua non ut unica persona individualis, sed ut totius generis humani radix fundamentalis deliquit; seu conjunctionem DEI prohibitionem, quæ non solum Parentem, sed ipsos quoque posteros concernebat, sive subsequentem panarum immisionem; qua omnes, etiam tenelli infantes horæ unicæ sunt mortis poenæ subjecti, fatis evidenter constat, omnes in Adamo culpæ reos esse factos, cum alias injuste poenæ submitterentur. Licet ergo poteri subsistentiâ propria extra causas non gauderent, habuere tamen esse suum $\alpha\pi\epsilon\gamma\mu\alpha\tau\iota\kappa\acute{o}\varsigma$ in Adamo, velut & Levi dicitur fuisse $\alpha\pi\epsilon\gamma\mu\alpha\tau\iota\kappa\acute{o}\varsigma$ in lumbis Abrahæ Ebr. c. VII. v. 10.

§. 17. Urgemus DEI pronunciatum Gen. c. VI. v. 5. ubi de Homine affirmatur quod $\כָּל רִצְרָץ מַחְשַׁבֶּת לְבוֹרָקָרַע כָּל הַיּוֹם$ & seq. c. VIII. vers. 21. additur vox $כִּנְעָרָי$, Non aliquod tantum figmentum humani cordis sibi relictum malum est, sed *Omne*, non ex parte, sed *totum* & *Tantum*, non aliquo tantum tempore, in virili vel senili ætate, sed *in ipsa pueritia* & ab excussione malum est, non in oculis dumtaxat humanis, sed & *in ipsis DEI oculis*. Hæc verò mahtia non aliunde nisi ex corrupta generatione & propagatione profecta est. Quæ pro isto loco evertendo Volkelius l. 5. de verâ Relig. p. 594. conguessit, eadem facilitate rejiciuntur qua astruuntur. Præcipue nostram fulcit sententiam D. Paulus Rom. c. V. vers. 12. ubi indicat, quod $\delta\iota' \epsilon\nu\theta\acute{o}\varsigma \alpha\nu\theta\rho\acute{\omega}\pi\alpha\varsigma \eta \alpha\mu\alpha\rho\tau\iota\alpha \epsilon\iota\varsigma \tau\acute{o}\nu \kappa\rho\sigma\mu\acute{o}\nu \epsilon\iota\sigma\eta\lambda\theta\epsilon, \kappa\alpha\iota \delta\iota\alpha \tau\eta\varsigma \alpha\mu\alpha\rho\tau\iota\alpha\varsigma \delta' \acute{\iota}\nu\alpha\lambda\iota$, quid dilucidius afferri poterat pro declaratione labis originalis per Adamum in nos derivatæ? non enim hic sermo est de peccatis actualibus, sed de quodam communi & naturali, quia innuitur aliquod certum peccatum per generationem in omnes propagari, siquidem omnes dicuntur hoc peccato infecti, quod de certo actuali peccato haud est verum; dehinc poenæ ejus, mors videlicet omnibus est communis, etiam infantibus ex utero prodeuntibus qui tamen actualiter nondum peccarunt, quod satis constat. Sed arbitrantur Sociniani sese hoc telum facile effugituros, in Carib. Raesv. p. m. 252. Non habetur eo loco, in Adamo omnes peccasse, verum in Græco verba sunt $\epsilon\phi' \omega$ quæ passim interpretes reddunt Latine, In quo, quæ tamen rectè queunt per particulas quoniam, aut quatenus ut ex allegatis locis similibus videre est. Hoc omnes illos novisse inquit Smalzius, qui

Græcæ

Græcæ linguæ vel tantillum periti sunt; ad quam sententiam proxime quoque accedit *Erasmus*, qui causaliter hæc verba esse exprimentia docet, Verum non queritur, an ita verti possit, sed an isto modo verti debeat, Evidens est quod Christus Adamo hic opponatur, velut E. in Christo omnes obediendo facti sunt iusti vers. 19, ita in Adamo omnes peccaverunt. Argumentatur; Quisquis per aliquod delictum non tantum fit inobediens & reus culpæ, sed & particeps pœnæ, ille omnino isti delicti fit particeps. Sed per Adami inobedientiam constituti sunt multi peccatores, inobedientiæ rei, & pœnæ participes, E. Versio est quod concernit, oportune *Beza in Notis ad N. T.* monuit, novum non esse ut *ſibi* pro *eo* accipiatur, ut Marc. c. II. v. 4. & Ebr. IX. v. 17. & passim apud idoneos autores, *Erasmii* autem errorem jam dudum ab *Augustino*, esse refutatum indicat, & concludit voces $\epsilon\phi\ \phi$ de uno illo homine ut humani generis stirpe esse intelligendas, Fuit enim omnino afferenda ratio, cur ab uno homine peccatum, & mors in omnes homines pervalerit, nec alia affertur potest.

§. 18. Sed nulla probabilitate hoc astrui videtur, unicum peccatum omnes & singulos corrupisse posteros, hinc *Racovienses l. c.* docent, *Lapsus Adæ cum unus actus fuerit vim eam quæ depravare ipsam naturam Adami, multò minus verò posterorum ipsius posset, habere non potuit. Ipsi verò id in pœnam irrogatum fuisse, nec scriptura docet, & Deum illum, qui omnis æquitatis fons est, incredibile prorsus est id facere voluisse.* Hæc prolixius dilucidavit *Volkelius l. 5 de vera Relig. c. 18 p. 548.* Sed quamvis hæc rationis somnia ad suos ablegare cancellos liceret, illud tamen reponere libet, ipsam satis experientiam reclamare huic assertio, quod unicus actus non habeat vim depravandi naturam & posteros, unicum enim actum homines pessumdedisse, mortem intulisse, imaginem Dei & gratiã pristinã toti generi eripuisse, ex scriptura luculenter colligitur, Expendatur vel unica *Gehæsi* pœna, qui unico actu avaritiæ & inobedi. commissa attraxit lepram non sibi soli, sed & posteris 2. Reg. V. v. 27.

§. 19. De propagatione hujus mali cum constet, reliquum est, ut brevissimè attingamus (3) Depravationẽ ex hac avulsione & apostasiã ortam. Gravissimum sane fuit delictum, quo gravius posse dari negat *Bellarmin l. 3. de stat. pecc. c. 10.* & concedit *Bonaventura*, si gravitas sumatur *extensivè*, resp. latitudinis ad omnes homines se extendentis, non tamen si sumatur *insensivè*, cū peccatũ in Sp. S. & finalis Nominis

divini blasphemia majorem habeant malignitatem, de quo alias. Conf. Meissn. Dec. 1. Anthropol. Diss. 4. q. 4. gravissima proinde subsequuta est depravatio, quæ non tantum involvit *Boni concessi ἀπέχου* & *amissionem*, includitq; imaginis divinæ destructionem, quam *intellectus cecitas*, Act. c. XXVI. v. 18. Eph. c. IV. v. 18. *Voluntatū pravitās* Gen. c. VI. v. 5. Job. c. XIV. v. 4 & *depicta nostra calamitas* Ps. XIV. v. 2. Rom. c. III. v. 12, 13. apertissimè declarant; sed & *Mali contrarij successione* & *Ἰέου* quam confirmamus partim ex ipsa habitus mali & vitiosi natura, qui sanè non est aliquid merè privativum, sed est defectus aliquid positivè conjunctum habens, partim ex peccati operativa in hærentia, quam scriptura hinc inde astruit Rom. c. VI. v. 17, 18, 21. Ebr. c. XII. v. 1. Jac. I. v. 15.

§. 20. Qui Pontificis Decreta pro Oraculis venerantur, ab orthodoxia hic longè recedunt, autumantes Peccatum originale ex apostasià Adamitica proficiscens tantum esse boni seu justitiæ originalis privationem, & positivum malum hic non agnoscunt, Callidè autem *Conciliabulum Tridentin. sess. 5. Dec. 1.* propriam hujus mali rationem silentio involvit, quod *Andradius* secretorum hujus Concilij conscius consultò factum esse dicit; Hujus verò erroris examen ad sedem propriam Loc. de Peccato Orig. ablegamus, & imprimis illam Privationis distinctionem advertendam esse arbitramur, qua *alia* dicitur *simplex*, *meramq; notat carentiam*, ut cecitas & tenebræ; *alia habitualis*, quæ *conjuncta est cum contrariâ formâ* ut Morbi. Ad priorem speciem Pontificij depravationem illam quæ lapsus imputata est, ad posteriorem verò Nostrates referunt, quia ita est *ἀπέχου* justitiæ, ut simul includat *ἐξυ* injustitiæ & concupiscentiæ depravatæ. Conf. *Himmel. Syn. Diss. 9 §. 40.*

§. 21. Offensionem in Reconciliatione Placatio excipiet, quâ non succedente, nulla obtinebitur Reconciliatio. Deus in sæcula benedictus, per delicta gentis humanæ maximè operè offensus, non nisi per Filium Unigenitum ejusdemq; lytron pretiosissimum placari voluit potuitq; quæ res cum indigeat ex planatione ulteriori, exhibemus in proximè subseq. Membr. ipsam placationem, Ideoq;

§. 22. Membr. II. Deum Reconciliatione placandum offert. Hominis equidem requirebat miseria, ut de Reconciliatione quam maximè sollicitus fuisset, & velut Absalon per Joabum omnem movebat lapidem, ut flecteret cor Patris offensi, Regemq; sibi reconciliaret

liaretiratum, pariter & nostri generis indigentia & extrema calamitas
 poscebat, ut quibusvis mediis offensi Numinis ira & indignatio averte-
 retur, secus si faceret, æternum sibi supplicium juxta cum dæmonibus
 paratissimum fore ignorare non poterat, non debebat, sed ecce fugiti-
 vus apostata adinstar muscæ in venenatis aranei infernalis telis seipsum
 magis magisq; intricabat, & titionum gehennæ numerum certissimè
 auxisset, nisi de Reconciliationis mediis Cor Patris beneficentissimi fu-
 isset sollicitum.

§. 23. Coeterùm duo sese h. l. nobis afferunt excutienda (i) Dei na-
 turalis adversus peccatum ἀντιπάθεια, quæ ideo primitus illustranda
 erit, ut evidens fiat, Deum facillimo negotio hanc rem expedire haud
 potuisse, & subsequens Dei Φίλανθρωπία exactius delineari queat.
 Ἀντιπάθειαν Dei adversus peccata dilucidissimè constare autumamus
 ex Gratia divina pristina amissione & contrà ex subsequenti gravissimæ
 pœnemissione. Gratia amissionem qui probatu difficilem censet, illum
 in maximâ rerum sacrarum ignoratione versari oportet, si etenim vel
 solam Protoplastorum evolvamur historiam, abunde elucescet, quan-
 ta successerit jactura gratiæ divinæ, adeo ut ne quidem per diem inte-
 grum liceret Adamo in horto Eden commorari. Neq; est quod quis-
 quam miretur hanc benevolentia subtræctionem, cum nunquam
 conspirare queat Deus cum prævaricatoribus, quamvis sibi quandoq;
 impunitatem polliceantur, Pl. L. v. 21. hinc Deus ipse odium suum em-
 phaticâ quæstione hoc expressit Jer. c. II. v. 7. & 9. **העל אלה לי
 אפקוד ועם כגורי אשר כזה לא התנקם נפשי**

§. 24. Hoc odium adversus peccata est naturale Deo, neq; unquam
 Deus potuit vel poterit non odisse peccatum, cum illud ipsum semper
 sit malum, adeoq; Deo velut Bono constantissimo semper contrarium.
 Sophisticantur equidem adversarij non esse hoc de natura Dei, neq; eius
 essentialem esse proprietatem, na odisse peccata ut vindicet, sed hunc esse
 liberrimæ voluntatis effectum censent, velut à libero Dei nutu depen-
 det, quod hodiernum diem æternum, crastinum contrà nebulosum ef-
 ficiat. Proinde vindictam Dei quam adversus delinquentes exercet, non
 ex naturali Dei odio proficisci autumant, quo flagrat contra delicta,
 sed potius quod sit liberrimæ voluntatis decretum quod quovis tem-
 pore mutare potest, Volkeltus l. c. l. i. p. 313. Hic animadverti potest, odium
 ויאת

*Uiriam divinam nec ipsam Dei essentiam, nec naturalem in Deo qualita-
tem esse, qua nimirum in illo planè & perpetuo resideat.*

§. 25. Sed longè rectius à veritatis spiritu erudimur, qui genuinè mundum arguit de peccato Joh. c. XVI, v. 8. aliud declarant tonitrua & fulmina Legi contra transgressores expressa Conf. Deut. XXVII. v. ult; aliud evincunt Prophetica Oracula, Ps. V. v. 5. רשע אל לא אל neq; h. l. solum complacentiam denegat David, sed & abominationem indicat v. 7. vox תעב, velut enim abominamur rem nobis maximè horribilem & inimicam, adeo ut visus, gustus, olfactus & alterius sensus usu & participatione indignam reputemus, ita & in Dei oculis peccata sunt תועבות abominationes, Lev. c. XVIII, v. 26, II. Reg. XVI. v. 3. res adeo inquinatæ, extremè fœdæ & fordidæ, ut nauseam moveant animæ Dei. Conf. Deut. c. XXV, v. 16. ubi cum certas species delictorum recensisset Moses, demum concludit יהוה כל עשה אלה & generalem hanc subnectit formulam, כל עשה עול non ergo abominatio hæc ad certas tantum restringenda est prævaricationes, sed sese ad omnes extendit. Plura qui desiderat, expendat Ps. XI, v. 6. Prov. c. XV, v. 9. Jer. XLIV. vers. 4.

§. 26. Adumbratum est hoc odium in Viris sanctissimis, qui ob odium zelumq; adversus peccata Deo fuere prægrati, hinc Pinehas Principem Israëliticum occidens, Elias Baliticos sacrificos è medio tollens, haud quaquam è Dei favore exciderunt, sed potius rem Deo gratissimam fecerunt, quæ facta nunquam approbasset Deus, nisi ex iusto zelo & odio essent profecta; Ex quo luculenter colligitur, quantum sit Jehovah odium adversus delicta. Conf. Apoc. c. II, v. 6. David de seipso pronunciat, quod Dei osores & peccatores odio prosequatur, & quidem perfecto Ps. CXXXIX. v. 22 תכלית שנאה שנאתים (quorum substantivorum prius venit pro adjectivo, illustrante Glassio l. 3. Philol. sacr. tr. v. p. m. 26.) quod si verò David odio perfecto, certè Deus perfectissimo odio prosequitur & abominatur peccatum; Perfectiones enim creaturarum in Deo sunt eminenter.

§. 27. Hinc constare arbitror principiam iræ Dei adversus peccata non esse duntaxat voluntatem liberam, sed odium in Deo adversus peccata esse intrinsecum & naturale. In creaturis quandoq; odium est affectus interius & naturalis adversus certas res, quod naturalem ἀντιπάθειαν indigitamus, quandoq; verò & quidem sæpissimè est affectus voluntarius

tarius ex liberâ voluntate promanans. Ejusmodi actus liberæ voluntatis in Deo non est illud odium, cum etenim Deus sit justissimus, constantissimus & immutabilis, non potest ejus odium cadere nisi in rem per se odio dignissimam, qualis certè est peccatum, ubi Deus non potest non odisse peccatum, quod ipsum in hominibus sese longè aliter habet, Vid. Pl. L. v. 21. Finge autem Deum pro suâ libertate & odio posse prosequi peccata, & pro libertate voluntatis etiam non posse, exinde consequeretur, posse Deum pro liberrimo arbitrio admittere malum, illoq; non offendi, quod è diametro adversatur divinæ bonitati, & revelatæ voluntati; quod si enim Deus aliquando non potest irritari peccatis, qua veritate astruetur quod ejus ~~DEI~~ ipsa anima & natura abominetur illud Pl. XI. v. 6. Expendantur præterea quæ peccatoribus odium Dei in se derivantibus à spiritu tribuuntur nomina, sc. quod sint hostes DEI, Rom. c. V, v. 10 Filij iræ, Eph. II, v. 3. sub legis maledicto Gal. III. v. 13. & mortis dominio Rom. c. V, v. 12. &c. Conf. D. Calov. *Disp. 8. in Aug. Conf. 1b. 38.*

§. 28. Hoc odio evicto Justitia vindicatrix DEO essentialis exactius dignoscetur, hæc etenim falsissima est Socinianorum hypothesis, in DEO talem Justitiam vindicatricem misericordiæ oppositam non dari, adeoq; satisfactione Christi, quâ tali justitiæ satisfaceret, haud fuisse opus: Conf. *Socin. de servat. p. 1 c. 1.* Sed hanc justitiam ejusdemq; actum *Compensatorium*, quo bona præmiis; compensat, & *Vindicatorium* quo mala severe punit & castigat Lex Mosaica nobis ad oculos depinxit, illum Lev. c. XVIII. v. 5. Rom. c. X. v. 5. hunc verò Gen. II, v. 17 & Deut. c. XXVII. v. ult. Dicitur autem hæc Justitia Deo *essentialis*, quia cum simplicissimâ ejus essentiâ instar reliquorum Idiomatum convertitur, & sicut de aliis Dei proprietatibus exactibus secundis judicatur, cum actus secundi semper præsupponant primum, ita quoq; exactibus justitiæ Dei nostri gloriosi vindicatoriis Justitiam hanc vindicatricem Deo essentialem esse arguimus. Expendantur quoq; scripturæ dictæ de odio Dei perfectissimo loquentia, & patebit hanc Vindicatricem Justitiam revera esse Naturalem.

§. 29. Sed plurima de promunt adversarij tela, quæ vibrent contra hanc veritatem, (1) *Deum a jure absoluto gaudere imperio, & pro voluntate liberrimâ homines morti mancipasse, iisdemq; vicissim ex liberrimâ voluntate pœnam remittere, eorûq; morti eximere posse,* Verùm uti prius

C

assertum

asserunt est falsissimum, quod morti manciparit homines pro libertate voluntate, cum inde sequatur non tam peccatum, quam Dei voluntatem esse causam mali & damnationis hominum, cui unicum duntaxat Dei iuramentum opponimus Ezech. c. XVIII, v. 33. ita & posterius sciret absurditate & falsitate; Libertas namq; Dei in agendo non est opponenda iustitiae, neq; enim in & per se contrariae sunt hae proprietates, cum sint ipsa DEI essentia, quae ut simplicissima, ita omnis contrarietatis experta est; Proinde sic Dei libertas erit asserenda, ne tamen eius derogetur iustitia, habet quidem absolutum imperium & nulla lege obstrictus est, veruntamen quod hominibus dicitur Lex Dei praescripta, hoc Deo dicitur Natura, & quamvis pro absoluto imperio de suo jure remittere possit quantum velit, nihominus contra naturam agere non potest, sed ita sui juris est, ut seipsum tamen nunquam neget: alias ex eadem libertate voluntatis colligere liceret potentiam peccandi, quam tamen nullus sanæ rationis admittet, cum non tantum liber sed & Bonus sit.

30. (2) *Virgent Postulat hanc iustitia essentiali, peccata omnia indiscriminatim esse punienda, At verò non omnia, sed tantum ea qua cum impoenitentia juncta sunt Deus punit, reliqua verò impunita ex gratia remittit;* Admittimus profecto omnia puniri peccata, impoenitentium quidem inchoatè saepius in hac vitâ, consummativè autem in gehennâ; poenitentium vero peccata in Christo satis punita sunt, qui in se penam derivavit, ut creduli pacem nanciscerentur, Esa. c. LIII, v. 9. & solvit quod non rapuerat Psal. L XIX, v. 6. qui poenitentibus iustitiam largitus est, I. Cor. I, v. 30. & 2. Cor. V, vers. 21. Praesertim (3) *obvertunt immensum Dei amorem huic iustitiae vindicatrici esse oppositum,* commendavit etenim Deus charitatem ipsos hostes diligendo, Rom. c. V, v. 8. Joh. III, v. 16. 2. Cor. c. V, v. 19. atq; imprimis in S. Codice Jehova praedicatur ob tarditatem irae, quod sit **וְיִשְׁמַח**, Verùm uti tarditatem fervoris divini in puniendo devotâ submissione agnoscimus, Sap. c. XII, vers. 24. quam tamen dehinc gravitate poenarum compensari in apriico est, cum iustissima Dei indignatio indivulsa sit delictorum pedissequa, quaeq; ab impoenitentibus nunquam tollitur, Joh. c. III, vers. 36; ita & amorem Dei stupendum sanctè deventramur Joh. c. III, v. 16. veruntamen non ille divinae iustitiae erit opponendus, sed utriusq; effati veritas facta retiaq; retinenda erit; Dilexit Deus miserri me decepro homines ut creaturas,

turas calamitatum cœno immerfas, quod opus est Conditoris Patrisq;
miserentis, odio verò prosequitur legis transgressores, quod opus est
Judicis indignantis. Nunquam ergò solitaria Dei Misericordia est respi-
cienda, quod Epicuræi cætus securitati litantis proprium est, sed & Justitia
simul expendenda, quod graphicè illustravit insignis V. T. Ethicus
Syrac. c. V. v. 6. 7, &c XVI, v. 12.

§ 31. Nondum averfa fuit ira Dei post gratiæ amissionem, sed ul-
terius manus extensa est ad *Pœnæ immisionem*, Esa. c. V. v. 25, eademq;
non fuit duntaxat temporalis, sed & æterna. Temporalem quod concer-
nit impiis inflictam, illa quidem reliquis eorum pœnis accenseri potest,
sufficiens tamen pœna non est, sed ista communis est impiis ac piis, ubi
tamen exactè discernenda sunt *δομινασία* & *τιμωρία*, Illa ut plurimum
filijs decernitur, ac potius castigationis paternæ quam pœnæ nomen me-
retur, cum resipiscentes à peccatis per fidem à pœnis sint liberati, Gal. c.
III. v. 13. *τιμωρία* verò ut plurimum infligitur impiis, partim ut sit avoca-
mentum à delictis, dummodo fuerint corrigibiles, partim ut sit princi-
pium futuri doloris, si fuerint refractarij & contumaces. Neq; est quod
quisquam censeat nimis rigorosam esse duplicem pœnarum immissio-
nem, cum reprobis & temporales luant pœnas, & præterea æternas, adeoq;
bis exigi solutionem à justitiâ; Nam una est ira quæ per incredulitatem
derivatur in malignos, & in morte manens continuatur in futurâ vitâ,
quam sibi antehac perseveranti contumaciâ atraxerant, neq; putandum
supplicium superare delictum, cum satis grande ob infiniti Numinis of-
fensionem reperiri vix queat. Æterna vero pœna sufficiens & ordinaria
est, quæ prævaricantibus vigore justitiæ divinæ decernitur, & justissimè
pro peccato etiam momentaneo æterna constituitur perditio; magni-
tudo verò abominationis ob quam adeo excandescit divina ira, non ex
sola contumaciâ, vel duratione petenda est (namq; in quibusdam acti-
bus delictorum minima est duratio, ut ex adulterio & homicidio collige-
re licet) sed imprimis ex offensa Numinis infiniti: Quo enim excellen-
tior dignitas & amplitudo offensi Regis, eò gravior æstimatur ipsa offen-
sio, & grandior infligitur animadversio, cum itaq; quovis delicto mini-
mo irriteret Majestas & justitia infinita, & accendatur fervor iræ infinitæ,
eadem non nisi infinito Mediatoris infiniti supplicio perfecte est
placabilis.

§ 32. Hucusq; exhibuimus divinam *ἀντιπαράθεσιν* adversus deli-

Na, nunc ejusdem lustremus *Φιλανθρωπίαν* passim in scripturâ decan-
 ratam, Deut. c. XXXIII, v. 3. Joh. III, v. 16, Tit. c. III, v. 4. quæ stupendâ
 admiratione dignissima est, cum Deus irâ flagrantissimus nihilominus
 gratiosæ clementiæ temperiem erga miserimos abjectissimosq; decla-
 raverit hostes. Admirabundus olim affectum Davidis benevolentissi-
 mum deprædicabat Saul. 1. Sam. XXV. vers. 20. Num quisquam ho-
 stem suum offendens eundem ad optimam dimitteret viam? sed quantus
 ille est divinæ thesaurus benignitatis? Non dimisit tantummodò
 DEUS hostes, sed & ipse reduxit in viam, atq; hæc est ruptura cordis
 Jer. XXXI, v. 20. hæc sunt viscera misericordiæ Luc. c. I, v. 71. hic est
 thesaurus benignitatis Rom. c. II. v. 4. Hanc immensam DEI *Φιλαν-
 θρωπίαν* omnes orthodoxi devotè agnoscunt, & propugnant, adeoq;
 cardo controversiæ inter Socinianos & Nostrates agitata, in probatio-
 ne divinæ charitatis & propensionis erga miseriam humanam haudqua-
 quam vertitur, sed ab illis pessimè hæc cum divinâ justitiâ committitur.
 Genuinû ergò Controversiæ statû formare perutile fuerit. *Conf. D. Thum.
 Synops. de Articul. fidei p. 374. de off. Christi. & D. Hulsem. Brev. c. 7. ib. 2.*

§ 33. Eousq; verò progressa est inestabilis & imperscrutabilis Jeho-
 vx *Φιλανθρωπία* ut neq; pepercerit unigenito & *ιδίῳ* filio Rom. VIII,
 v. 31. sed eundem pro nobis fecerit *ἄνθ* & peccatum 2. Cor. c. V. v. 11.
 omnium sc. peccatorum nostrorum culpam & pœnam ipsi imputando,
 & succollando, unde commendatio divini favoris ex hoc opere impri-
 mis elucescit, Rom. c. V. v. 8. Hæc fusius consideraturi in subseq. Mem-
 bro, quod est

§ 34. III. *Membr. expendens Reconciliatoris officium,*
 Cum Deus per delicta à genere humano remotior factus, & ad iram irri-
 tatus esset Esa. c. LIX. v. 2. placamentum requirebatur, ad flectendam
 Dei iram & vindictâ, quod non nisi ab intermedio aliquo Reconciliato-
 re offerri poterat. Tanto verò operi Reconciliationis perficiendo ne
 Angeli quidem pares erant, cum meræ sint & finitæ creaturæ, famulatu
 Deo subservientes Ebr. c. I. v. ult. suisq; meritis hominibus nihil impe-
 trantes cum sint conservi, Ap. XXII, v. 9. nedum homines huic sufficie-
 bant muneri, cum in eodem miseriæ luto omnes hæreant instar latronis,
 Luc. XXIII, v. 40. cumq; carum nimis & augustum requiratur placa-
 men pro expiatione animarum Ps. XLIX. v. 9. Deus autem qui in Chri-
 sto fuit 2. Cor. V. v. 18. uti voluit Ps. XL, v. 8. ita & solus potuit frangere
 sigilla

figilla iræ divinæ Apoc. c. V. v. 3. & 5. quæ super omnes antehac revelata Rom. c. I, v. 18.

§. 35. Controvertitur autem h. l. annon Deus vel potuerit vel voluerit absq; omni interveniente reconciliatoris placamento & satisfactione delicta humano generi omnino remittere? Quæstionibus ad scripturæ S. lydium lapidem examinatis patebit, Negativam sententiam esse arripiendam. Dico (1) *Deum salvâ justitiâ & promulgata sententiæ veritate haud potuisse*, Decretum enim comminatorium omnino obstabat, dum legem istam promulgarat, *Quacumq;* &c. vi hujus justæ semel latæ sententiæ homines morti addictos solâ sua voluntate morti iterum eximere haud poterat, nisi seipsum negare voluisset, namq; in unaquaq; actione tantum unum rectum est, idq; à Recto, id est summo Deo constitutum. Congruè Grotius l. c. c. 3. p. 68. hæc deducit, *Augeatur, ait, causa puniendi ubi lex aliqua publicata est, qua poenam minatur. Nam tunc ommissio poenæ ferme aliquid derogabit de legis auctoritate apud subditos. Hinc illud Politicorum, τῆς κειμένης νόμου, ἰσχυρῶς διαφυλάττειν.* Conf. Zaleuci factum illustre illo ipso loco citatum. Quia itaq; Deus semel eos justè morti addiderat, sola suâ voluntate eosdem mortis imperio eximere non potuit, alias enim injuste eos antea condemnasset; si verò justè eos condemnavit, vel justitiæ Dei satisfieri debuit, vel justitiæ Dei mutanda fuit, vel ex imperio mortis omnino haud poterant eximi, secundum factu est impossibile, tertium juxta tenorem scripturæ factum est, E, necessario admittendum erit primum.

§. 36. Dico (2) *DEUM absq; satisfactione peccata remittere non voluisse*, quod universæ Scripturæ loca abundè testantur, quæ de Satisfactione loquuntur, de istâ autem voluntate Dei non nisi ex revelato verbo judicare fas est. Unusquisq; hic paulò altius examinet Salvatoris supplicationem Patri oblatam, ubi anxie suspirabat, *Abba si possibile, calix ille transeat*: Verùm ex sequente cruento crucis supplicio evincitur, neq; voluisse neq; potuisse Deum absolute absq; omni satisfactione reconciliari, quod ipsum si fieri potuisset, utiq; Christus Patrem exorasset, semper namq; filius exauditus fuit Joh. XI, v. 42. Hanc autem liberationem cum Filius obtinere haud posset, si salus quidem restauranda esset, suam voluntatem Patri submitit. Conf. Franz. Diss. 4. in Aug. Conf. th. 123.

§. 37. Caterum tria potissimum requirebantur in hoc officio Reconciliatoris, quorum 1, est Mediatio. Omnium primò Mediationis

munere fungi debuit, namq; partes quondam conjunctissimæ, per peccata maximè divulsæ & dissidentes factæ sunt, DEUS enim ab hominibus fuit abalienatus, & contra homines rebellantes facti sunt oppositæ. Nequaquam ergò poterat homo prodire in conspectum DEI absq; trepidatione & metu temporalis & æternæ mortis, cujus horrores ideam illustrem in Israelitis metu percussis Deut. c. V. v. 25, & in Manoah Jud. XIII. v. 22. deprehendere facillimum est, namq; DEUS est zelotes, & ignis ardens Exod. XX. v. 5. Deut. IV, v. 24. atq; vindex rigorosus Nah. c. I. v. 2. Mediator ergò intercedere necessario debuit, alias pars altera s. offendens igne divini fervoris fuisset absorpta, quod ne fieret, Mediator interveniens dissidentes reconciliabat, Deū quidem offensum placando, hominem verò rebellem convertendo. Neq; tamen sufficiebat Mediatio nuda Verbalis (quâ quandoq; animi dissidentes humani amicorum operâ queunt ad benevolentiam mutuam redigi) sed Realis præterea requirebatur, & hujusmodi quidem, quæ in sanguinis effusione & morte fundata esset: Et is ipse sanguis in crucis arâ effusus hand fuit nudum mediationis signum, sed potius medium & fundamentum, quod ex Epistolâ Ebr. c. IX. v. 14. & 15. clarissimè constat, Si sanguis hircorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Sp. S. semetipsum obtulit immaculatum, DEO. emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum DEO. His verbis immediatè subnectitur, *ὃς διὰ τῆς ἀθανάτου ἁγίας ἡμετέρας ἐστίν, ὅπως θανάτου γενουδός εἰς ἀπολύτωσησιν τὴν ἐπιγραφίαν λάβωσιν οἱ κληρονομοὶ τῆς αἰωνίας κληρονομίας.* *Jonas schlichtingius in comment. Epist. Hebr.* agnoscit quidem hæc verba διὰ τῆς causam finalem notare, attamen non ad præcedentia sed ad sequentia hæc referenda existimat. *Licet,* inquit, *& ad id quod superiori versiculo est judicatum referri aliquâ ratione possint, quia tamen illud ipsum aliis, & quidè ad argumentum propositum accommodatum verbis expressum, statim succijetur, idcirco magis ad seq. verba, sc. Ut morte factâ &c. referenda videntur.* Veruntamen qui absq; præconcepto fugo hæc disquisiverit, facile quid nexus & coheræntia requiræ colliget, sc. a pertissimè h. l. Christo Mediatorem dici, quod sanguinem effuderit conscientias nostras purgantem, & ad Deum convertentem.

s. 38. Ob dictam Mediationem noster Reconciliator gaudet titulo Mediatoris dum nuncupatur *εἰς μετέτης θεῷ καὶ ἀνθρώπων,* I. Tim. c. II. v. 5.

e. II. v. 5. & ἡγεττον & διαθήκης μεσίτης, Ebr. c. VIII. v. 6. & κεινὸς διαθήκης μεσίτης, Ebr. XII. v. 24. Sed largitur hoc Socinus, Christum esse diciq; Mediatorem, sed ad ductum sui arbitrij vocem hanc applicat, statuitq; Mediatorem tantum Internuncium esse & Interpretem, quo DEUS ad fœdera cum hominibus pangenda utatur, & per quem populus cognitione voluntatis divinæ instructus ad Deum accedat, nunquam verò admittit talem esse Mediatorem qui Deum iratum homini placet. In *Institut. Christ. relig.* p. m. 83. ubi quaest. hanc formasset Socinus, *Cur Christus DEI & hominum Mediator est dictus*, Resp. *Nomen istud in sacris litteris, quarum est proprium eum significat, qui latine internuncius & interpretis etiam dicitur, qui auius esse non potest, sed duorum ut sit, necesse est*, Sed contra Grotius *l. de Satisfact. c. 8. p. 11.* monet, *vocem μεσίτης non tantum apud ineruditos, sed apud eos quoq; qui elegantius loquuntur, denotare illum qui placet aliquem*, Unde Svidas eam vocem voce εἰρηνομήνης interpretatus. Socino Praeceptor Schlichtingius juxta cum asseclâ Crellio, cum quo sese Paraphrasin in Epistol. ad Ebr. confarcinasse haud diffitetur in Praefat. suffragatur, p. 338. *Mediatorem fœderis esse nihil est aliud, quam Dei esse Interpretem & internuncium in fœdere cum hominibus pangendo, per quem Deus voluntatem suam hominibus declararet, & illi vicissim divina voluntatis notitiâ instructi ad Deum accederent, cumq; eò reconciliati pacem in posterum colant.* At ubi Scripturæ S. lucem adhibemus, illa ut pl. talem depingit Mediatorem, qui simul sit Redemptor, quid luce meridiana clarius colligitur ex 1. Tim. c. II, v. 6. Ebr. IX. v. 15. & c. XII. v. 24. Namq; μεσίτης Christi statuitur in ipsâ redemptione, atq; redemptio dicitur actus μεσιτεύματ.

§. 39. Ut hanc functionem Mediationis concludamus, asserimus, posse quidem Christum & eatenus Mediatorem dici, quatenus est internuncius Patris, Joh. c. I, v. 9. Verum enim verò hæc una tantum est Mediationis pars ad salutis applicationem pertinens, quæ non excludit partem alteram in acquisitione salutis consistentem, secundum quam utriusq; partis pacificator est. Cum verò strenuè obvertat Socinus locum Gal. c. III, v. 19. ubi Moses dicitur Mediator, (posito quod non alius Mediator quam Moses in illo loco intelligi queat, licet à Viris magnis hoc negari, & contrariam sententiam defendi probeat D. Clotzius D. 2. de satisf. 1b. 14.) sanè neque ipsi Mosi hoc denegari potest, quod aliquando placat;

placatoris temporalis munere functus sic inter Deum & Israëlitas, Cont.
Hist. Exod. XXXII, v. 32. Num. XIV. v. 19. Vide. *Steg. Photin. Diss. 24.*
quest. 6.

§. 40. Functio II. in officio Reconciliatoris subeunda est Culpæ
& Poenæ susceptio. Verbis Mediator Patrem placare haud poterat,
Realis requirebatur satisfactio, Culpa offendentium erat succollanda, &
poena toleranda, Vel enim in alium hæc onera magna & obstacula Re-
conciliationis Mediator derivare debebat, vel ipse bajulare; Alius qui sus-
ficeret huic moli ferendæ haudquaquam aderat, immo neq; decies cen-
tena millia Angelorum hoc expedire potuissent, ut cunq; enim corun-
dem potestas & virtus sit eminentissima, finita tamen est, nunquam in-
finita reddi potest, cum mære creaturæ sint, quæ in æternum non expia-
bunt vel tantillum iræ divinæ infinitæ. Suscepit itaq; Salvator noster in
proprium dorsum hanc immensam sarcinam, tanquam אל גבור *Esa.*
IX. v. 6. Talis etenim requirebatur Reconciliator, qui simul esset *DEUS*
nos redimens, Act. c. XX, v. 15. *filius Dei proprius Rom. VIII, vers. 32. qui*
juxta accuratum equilibrium offense & satisfactionis, & juxta regulam
rigidæ justitiæ Dei satisfactionem requirenti satisfecit ut probè expressit
D. Hälfem. in Breviar Theol. c. 5. §. 4. Sed hic masculè renituntur hostes
orthodoxæ veritatis, quocirca hæc solidè firmanda erit assertio.

§. 41. Unicum ex V. T. præmissuri sumus locum, classicū illum & sola-
mine Spirituali refertissimū, ex quo Culpæ & poenæ susceptio evidenter
probatur, *Es. c. LIII, v. 4* אכן חליוני הוא גשם ומכאכינו ככלם
verè languores nostros ipse tulit, & dolores ipse portavit &c. Subje-
ctum hujus loci haud esse aliud, quam personam nostri Messæ nolentes
volentes admittere cogentur Photiniani, convicti apertissimā allegatio-
ne hujus cap. in N. T. *Math. c. VIII. v. 17. Act. c. VIII, v. 32. & 1. Pet II,*
v. 24. Prædicata ergo potissimum erunt expendenda, & monente *Thum.*
l. c. p. 376. conjunctim urgenda, namq; hoc modo exceptiones Photin.
annihilantur. Duo verò occurrunt primitus nomina, חליוני (*Math.*
ἀσθενείας ἡμῶν) אָלִי quod ægritudinem corporis & animi denotat,
sed corporis plarumq; involvuntur hæc voce calamitates & miseriæ pec-
catori inflicte Altera vox כָּאֲבִיבִי כָּאֲבִיבִי descendit, & significat in-
tensissimè & maxime doluit tam animo quam corpore *Conf. Gen. 34.*
v. 25 Job II, v. 13. Thren. I, v. 12. Pl. XXXII, v. 10. Inijcitur ergo mentio lan-
guorum & dolorum, per quos languores non nisi corporales languo-
res

res à Christo sanatos intelligendos esse, Photini complices clamitant, & imprimis sibi gratulantur de allegatione loci Matth. VIII, v. 17. ubi de corporalibus, & quidem personalibus morbis, quos tamen Christus in se non recepit, agitur. Varij variè respondent, Nonnulli dicunt Christum morbos pertulisse, doloresq; bajulasse generatim pronunciarì, adeoq; generatim accipiendum esse, de omnibus infirmitatibus tum animi tum corporis, eumq; simplicem esse sensum; Alij docent Matthæum applicare ad morbos corporis, ut genus actu est in specie, interim morbos animi, hoc est, ipsa peccata, eorundemq; curam præsupponere, ut sublata causâ effectum tolli demonstrat; *D. Job. Tarnov. in Exeges. hujus cap.* docet, sese cum *D. Chemnitio* statuere, non primariò morborum ablationem ibidem apud Matth. respici, sed occasione hujus nos ad altiora deduci, (I.) ad causas morborum quæ sunt peccata. Sic infra cap. IX, v. 2, 5. 6. Joh. V, v. 14. (II) ad usum & finem miraculorum Christi, ut ostenderet Christum esse revera illum, qui peccata tolleret, ut *Esaias* prædixerat, atq; ita manet unus idemq; utrobq; sensus. Nec obstat, ut impleretur, ubi sufficit, ut ostendatur personæ identitas per diversa, & ex effectus remotione causæ ablatio declaretur. Quidam Theologi concedunt non obstat, quin indirectè, minus principaliter, & per quandam subordinationem, de corporis etiam languoribus locus à sacris scriptoribus intellectus fuerit, aut quia à peccato suam habent originem sicut mors, aut quia illorum morborum plurimi propter peccata inflicti sunt, unde curatio illa languentium peccata intuebatur, aut etiam quia curatio corporis eò spectabat, ut animi quoq; morbi sanarentur: Christus enim opus suum, quod est ægrotudines sanare, cepit ab ægrotatione corporis operari, ut dum illa prius visibiliter curaret, Medicus verus innotesceret, & tum demum ad curandas ægrotudines animarum perveniret. Ita ergo concludere voluit Matth. ex consideratione vaticinij *Esaias*, & collatione factorum Christi, Qui curat δαιμονιζοµένους, eijcit πνεύματα & potestates tenebrarum, & id quidem solo λόγῳ, restituit πάντας κενῶς ἐχόντας, ille est verus animarum etiam nostrarum Medicus, languorumque portator, ille ferre & ferendo auferre potest horrendum onus à potestatibus tenebrarum impositum. Necesse namq; est eum, qui talia & tanta præstiturus est ita virtute adversus potestates tenebrarum armatum esse. Consulatur quoq; de h. l. *D. Glaß. Phil. sacra l. 2. p. 1. 17. 2. sect. 2. p. m. 352. & Walsh. Harm. Bibl. p. 383.* Sed Interpretem hujus loci omnî exceptione majorem *D. Petrum* sistimus, 1. Ep. II, v. 24. Ὁς τῶς ἀμαρτίας ἡµῶν

ἡμῶν αὐτῶς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτῷ ὅτι τὸ ξύλον, Ubi languores & dolores satis delineantur, quod sint ἀμαρτίας

§. 42. Duo verba subsequuntur, quorum prius est **ΝΨ** quod equidem *πλύσιμον* est, & significat Elevare, ad portandum sublevare, & per consequens tolerare & portare, *außheben*/quod licet sæpe de simplici ablatione intelligatur, non tamen urgemur aliquâ necessitate, ut h. l. illam admittamus, præsertim ob conjunctionem Rad. **הבס** de qua deinceps, & ob explicationem allatam à Matthæo c. VIII. v. 17. & Petro I. Ep. c. II. v. 24. ubi per τὸ λαμβάνειν & ἀναφέρειν redditur, Significationem quam urget Socinus, sc. quod **ΝΨ** denotet auferre nullâ præsupposita rei ablata ab ipso qui aufert in se derivatione, ipse Metonymicam esse agnoscit, & concedit propriam significationem esse portare, quam tantisper retinemus donec evidenti ratione nos abigi non deprehendimus. Posterius est vox **הבס** quæ semper in S. Litteris denotat onus impositum gestare more bajuli, Vide loca Gen XLIX, v. 15, Neh. c. IX, v. 10, Thren. c. V. v. 7. Cum verò Davide attestante Ps. XXXVIII, v. 5. delicta sint onera, & quidem graviora quam ut à mero homine perferri queant, hæc immanis onerum moles à Christo fuit portata, & veluti bajuli onus aliquod grande succollaturus primitus illud elevavit & è terra evehens, ut imponant dorso, atq; dehinc in dorsum conijciunt, atq; portant, consimiliter Sp. S. indicat quod. Salvator primitus delicta velut onera **ΝΨ** sustulerit in dorsum, dehinc in dorsum coniecta omnino portaverit. Evolvantur & illa quæ in h. l. *D. Meisn. in Consid. Theol. Photina* p. 447. & 448. attulit Ne verò putativam hanc quisquam somniaret, esse impositionem, Sp. voculâ **הבס** veritatem corroboravit, & ne minima remaneret suspicio, pronomen **אני** ad confirmationem adjunxit, quod & D. Petrus notanter in N. T. retinuit.

§. 43. Ex his colligimus h. m. Qui in se suscepit peccata generis humani illa portando & bajulando, & hoc modo à nobis auferendo, ille revera culpam nostram & consequenter pœnam sc. iram DEI, & quæ illam excipiunt supplicia, in se derivavit, Ratio patet, ubi moles universa peccatorum hæret, ibi sanè & ira DEI & suppliciorum moles hæret, & gravat, Namq; aut abolutus jam est reatus à peccatis susceptis, aut nondum abolutus, Si prius, non opus est amplius ut bajulando illa auferantur & deleantur, si posterius E. iram DEI & pœnam reatu promeritam adhuc indivisum comitem habent, At hanc molem culpæ & pœnæ Messias in se suscepit, *Vid. D. Thumm. in Synops. de Off. Christi* p. 376. 77.

§. 44. Præ-

§. 44. Præcipue observatu digna est vox הפגיע in vers. 16. ויפגעו כל רגל כרוב ופגיעו בך את ועורו כל רגל. Cum enim prius Propheta hominum miseriam exposuisset tam *parabolicè*, ubi nuncupavit omnes oves errantes, & stultitiâ ovinâ pollutos, quam *proprie*, dum omnes in suam viam sese convertere dicuntur, adeoq; ad actiones & rationes sibi ipsis saltem placentes recipere, nostræ dehinc miserix opponit DEI curam & paternam misericordiam, *Et fecit ut incurreret in eum* (Messiam) omnis omnium nostrum iniquitas; Non tantum Pater Christo imposuit ut portaret & bajularet, sed & ipse fecit ut iniquitas hostili impetu in ipsum irrueret, vox namq; הפגיע istiusmodi denotat h. l. in cursum hostilem, qui fit animo perdendi, quod declaratu facile est ex Exod. c. V. v. 3. ubi de incurso pestis, Num. c. XXXV. 10. 19, ubi de incurso vindicis, proximi agnati necem vindicantis Jos. c. II, v. 10, ubi de obvio incurso emissorum hostium accipitur. Hanc constructionem mirè & misere invertunt Photiaiani, dum censent quod Christus tantum incurreret in iniquitates, easq; è medio per potentiam suam everterit, Conf. *Tarn. l. c. illiusq; Exercit. Bibl. de illa voce p. 778. & seq. Edit. in Octavo.*

§. 45. Appositè hanc Phrasin illustravit *Forevus, Utroq; modo inquit peccata nostra in Christum incurrerunt, irruerunt enim ut eum perderent, inciderunt ut ab eo perderentur; Hic mecum Christiane Lector considera, peccata tua ac mea partem illius exercitus fuisse qui in Christum irruit, eumq; trucidavit.* Fuit ergò omnino incursum ille peccatorum nostrorum in Christum divinitus ordinatus actus Dei vindicantis atq; ulciscantis nostra delicta per modum justii atq; irati Judicis; atq; actus ille præterea ad perditionem & trucidationem ordinatus est, neq; enim hic iniquitates intelliguntur nudè absq; respectu pœnarum promeritarum, sed cum omnibus suis oneribus & suppliciis consequentibus.

§. 46. Concludimus hac ratione; Quicumq; iniquitates alienas in aliquem conijcit, ob quæ indignatur, ille culpam & pœnam immittit, At de DEO Patre verum est prius, E. Deniq; In quem conijcitur pœna aliena ille eam gestare cogitur, At in Christum pœna nostra conijcitur, E. Evidentiissimè itaq; culpæ pœnæq; susceptionem in Christum derivatam hæcenus evicit Esaias.

§. 47. Ex N. T. pro evincendâ hac culpæ pœnæq; susceptione duos breviter subnectemus locos, Prior existat 2. Cor. c. V. v. 21. Τὸν ὁὖν ὡς ἡμῶν ἀμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἀμαρτίαν ἐποίησεν, ἵνα ἡμεῖς ἡγιασθῶμεθα διὰ τὸ δικαιο-

δικαιοσύνη ἴση ἐν αὐτῷ. Expendamus devotè mutuanam hanc commu-
 tationem, quod Christus nostram nobis adimat injustitiam, eamq; in se
 recipiat, & contra suam nobis justitiam impertiat. Dominus est expers
 peccati, licet enim in omnibus fratribus sit similis, peccatum tamen sem-
 per eximendum est. Ebr. c. IV, v. 15. noster namq; Sacerdos ὅστις ἀκα-
 κῶς, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν esse debuit Ebr.
 c. VII, v. 26. hunc sanctissimum verò teste Dan. c. IX, v. 24. pro nobis
 Pater fecit peccatum (ΠΩΝ namq; quæ vox in V. T. pro hostia pecca-
 tum expiante sumitur Conf. Lev. c. IV, V, VI. h. l. à Paulo notanter fuit
 applicata & expressa voce ἀμαρτίας, quâ atroci voce tam Propheta
 Elaias, quam Apostolus & peccatorum pravitatem, & Dei Patris
 irati severitatem, & Christi nos mercantis charitatem exprimate vo-
 luit) qua phraseologia indicatur. Christum fuisse victimam pro expian-
 dis peccatis oblatam, Eph. c. V, v. 2. Ebr. IX, v. 26. Fecit autem hunc Fi-
 lium Pater, victimam pro nobis ὑπὲρ ἡμῶν, pro suâ namq; personâ hau-
 quaquam expiatione indigebat, cum esset filius dilectissimus Esa. c. XLII,
 v. 1. & Matth. XVII, v. 5. proinde pro nobis victima factus nostram cul-
 pam pœnamq; suscipiens; idq; tandem eo fine ut nos efficeremur justitia
 in ipso, Imputatio enim h. l. reciproca est, Christo nostra iniquitas verè
 imputatur, & in illo severè fuit punita, & contra Christi justitia nobis ve-
 rè imputatur, eademq; Patri in Filio sit accepta Conf. I. Cor. c. I, v. 30. No-
 tatur itaq; dignum, quod h. l. abstractum pro concreto, idq; cum insigni
 energiâ & emphasi ponatur. Fecit Deus (Christum) peccatum h. e.
 peccatorem summum, non peccatis proprijs sed alienis, ipsi ut sacrificio
 vero propitiatorio imputatis, Et iterum, ut fieret us justitia h. e. perfe-
 ctè justus, vid. in ipso, & per imputationem perfectissimæ justitiæ Christi
Glab. l. 3. Philol. sac. tr. 1. c. 1.

§. 48. Posterior locus reperitur in Epistola Gal. c. III, v. 13. *Χριστὸς
 ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τῶ νόμου, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν
 κατάρα.* fundamentum depromitur ex Deut. c. XXI, v. 23. *Ἐλλερ
 ἢ ἄλλο οὐκ ἔστιν ἐπιμαρτυρία* Maledictio Dei est suspensus, Apostolus ita verus ἐπιμα-
 ρτυρατὸς πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλῳ. Non permanebit inquit Mo-
 ses cadaver suspensi in patibuli ligno, quia maledictus Deo est qui pen-
 det in ligno, & non contaminabis terram tuam; de qua contaminatio-
 ne & maledictionis origine sententiæ variant. Verissima causa illa est,
 quia suspendio summa seclera blasphemix, idolomanix, parricidij, &
 fratri-

fratricidij puniebantur, hinc præ aliis fontibus & maleficis suspensi maximè execrabiles & maledicti coram Deo & hominibus habiti fuerunt; eratq; tanta apud Romanos quam Judæos crucis supplicium præ omnibus ignominiosum & execrandum. Apostolus itaq; h. m. argumentatus fuit, Quicumq; pender de ligno est maledictus teste Mose, At noster Messias in cruce pependit, E. Fusius hæc dilucidavit, D. Dorisch. in Syn. Theol. Zach. c. 9. th. 390. Sed obvertet quisquam Legem duntaxat de fontibus atq; maleficis esse accipiendam, æquis enim divinum quendam Vatem & sacratum Martyrem ab hostibus innocentissime suspensum arbitraretur in oculis Dei maledictum fore, de quorum obitu contra scriptura affirmat, quod Deo sit acceptissim⁹, Pl. CXVI. vers. 15. Idè ergo de innocentissimo Christo erit asserendum, qui ideo haud videtur posse dici maledictum, quod ex merâ Judæorum iniquitate sit suspensus; Verum responsio in promptu est: Idem ille qui in se est innocentissimus respectu nostrorum peccatorum sit maximè pænæ obnoxius, cum etenim vadimonium pro nobis suscepit, peccatorumq; molem in se receperit, iustissime velut vas atronum, furum, idololatrarû &c. adeoq; velut κατὰ γὰρ à Deo punitur, Conf. Esa, c. LIII. v. 6. & Joh. c. I. v. 29 ut solveret, quod non rapuerat, Pl. LXXIX. v. 5. Inferimus proinde ultimò, Qui innocens pœnas lege expressas pro aliis suscipit, atq; ita sit maledictum, ut nocentes à reatu maledictionis liberet, is verè aliorum culpam & pœnam in se suscepit, De Christo Reconciliatore nostro prius est verum, E. & posterius admittendum. Impietate ergò scater maxima antiquior sententia hæretica Abailardi qui teste Bernbardo (citante Bellarm. l. 4. de amiss. grat. c. 2. lit. C) docuit, Christum non venisse in mundum, nec passum & mortuum esse nisi ut nos verbo & exemplo doceret; quam ex orco revocarunt sententiam Sociniani, quod illorum monumenta testantur.

§. 49. Deniq; Functio III. ad Reconciliatoris officium pertinens fuit Redemptio, Non sufficebat nuda Mediatio nisi μεσσυµα sanguinis simul affuisset, neq; susceptio culpæ & pœnæ nobis fuisset proficua, nisi illo λύτρωσιν nos essemus redempti, proinde & mediatio, & culpæ pœnæq; susceptio ad nostram unicè tendebant redemptionem. De hac redemptione apertissima extant Scripturæ documenta Rom. c. III. v. 24. Col. c. I. v. 14. 1 Tim. II. v. 6. Ebr. c. IX. v. 12. 1. Pet. I. v. 18. 19. quæ omnia accuratiori opera enucleare haud licebit. Quatuor verò quæ in redemptione ipso Socino teste l. 2. de Servat. c. 11. reperuntur & h. l. deprehendimus, Capti-

vir est homo in ergastulo miseriæ squalens, Act. XXVI, v. 18. 2. Tim. c. II. v. 12. Zach. IX. v. 11. *Detinens captivum* ceu Iudex iustissimus Deus est, ceu Iudex minister carnificem tortoremq; referens, dæmon, Matt. V, v. 25. *Redemptor* est unicus Christus 1. Cor. c. I, v. 30 & deniq; ejus *Lytron* est sanguis 1. Joh. I, v. 7. Sed de hac redemptione fusus in Membro IV. agendû.

§. 50. Antequam hinc abeamus edocendum erit, numquid secundum alterutram, num verò secundum utramq; Naturam hoc Mediatoris, Redemptoris & Reconciliatoris munere fungatur noster Salvator. Symbolicus Concordiæ nostræ Liber Controversiam hac de re acerrimè Avorum memoriâ fuisse institutam aperit, inter Osiandrum & Stancarum, Andreas *Osiander* Anno 49. (recensente Epit. form. Conc. p. 385. & Declar. p. 682.) contendebat, *Christum tantummodo secundum divinam naturam esse nostram justitiam, ac proinde justitiam fidei esse justitiam Deo essentialem, quæ sit ipse Christus, quatenus ille est verus naturalis & essentialis Dei Filius, qui hæc sua essentiali justitiâ per fidem in electis habet, cujus inhabitantû justitia essentiali respectu, omnium hominum delicta habeant sese instar guttula aquæ ad magnum mare. Quamvis autem in Borussia Vniuersitate Theologi reliqui maturè satis sese opponerent, nihilominus Anno 51. Stancarus in conflictu Disputationis ad alterum delapsus fuit extremum, contendens, *Christum esse Mediatorem nostrum non secundum divinam, sed tantum secundum humanam naturam, quem errorem non ex limpidis Israelis fontibus, sed ex turbidis Scholasticorum lacunis hausit, secutus in huius erroris propugnatione Thomam, Bielem, Bonaventuram, & imprimis Magistrum sententiarum. Qui utriusq; partis rationes expendere gestit, consulat Hutter in E. C. p. m. 338 & alios promiscuè hæc dogmata refutantes Doctores.**

§. 51. Uti autem prior meritissimè fuit exterminatus error, cura essentialis illa justitia sit omnibus tribus personis communis, iisq; solis competat, neq; ulli communicari queat mero homini, (ut reliqua taceam absurda consequentia, inter quæ eminet, quod stante hac sententiâ, aut falsum sit, quod de sanguine Christi scriptura affirmat, Deum scil. suo sanguine nos mercatum esse, aut concedendum erit, quod divina natura sanguine constet humano, quod utrumq; auditu absonum est) ita & posterior Stancari foetida sententia eliminatione fuit dignissima, quæ divinam naturam ab opere Mediationis & reconciliationis excludit. Hoc verò Stancari dogma licet Bellarmin. improbet l. 5. de Christo cap. 2. inquit *Stancari sententiam aperitissimè desistere ad Nestorianismum*

Vote.

voce enim eum fateri uiam personam in Christo, ve autem ipsa ponere duas, & evacuare planè mysterium Redemptionis. Nam si sola Natura humana (ait) egit opera illa satisfactoria, ergo natura humana per se existebat, & proinde suppositum erat ad diuino supposito distinctum, agere enim suppositorum est. Veruntamen si Scholasticorum & Pontificiorum opinionem rite examinauerimus, re ipsa constabit, illos huic errori maximè affines esse. Bellarminus l. c. c. i. ita distinguit, ut ipsum quidem Mediatorem s. Principium, quod operabatur opera Mediatoris, dicat, non fuisse Deum solum vel hominem solum, sed utrumq; simul h. e. Verbum incarnatum, principium tamen quo illa opera à mediatore fiebant fuisse naturam humanam non diuinam; tamen si enim (inquit) Deus incarnatus erat qui orabat, patiebatur, obediebat, satisfaciebat, tamen hac omnia faciebat secundum formam serui. Suffragatur Becanus p. 3 Theol. Schol. tr. i. c. 21. Christus, (inquit) secundum humanitatem est mediator, non secundum diuinitatem. Est contra Lutheranos, qui docent Mediatorem esse secundum utramq; Naturam.

§. 52. Orthodoxa verò Christi Ecclesia constanter confitetur Mediationis & Reconciliationis opus esse ἐνέργειαν Θεοῦ ἐκλήν, Legè Damascen. l. 3. de Orthodoxâ fide c. 19. Non enim sola humana, & finita natura tam grande opus efficere potuit, cum meritum Christi infiniti debuerit esse pretii & valoris, namq; inter reatum & satisfactionem proportio debebat intercedere, cum verò reatus noster fuerit infinitus, impingens in Dei iustitiam infinitam, actiones humanæ finitæ non sufficiebant; præterea mortem æternam, non nisi ipsa vita æterna quæ erat Christus, Joh. c. XI, v. 25. & c. XIV. v. 6. absorbere poterat; Ut taceam partim scripturæ Oracula iam dudum hoc confirmasse 2. Cor. c. V, v. 18. & Col. c. I, v. 20. partim salutis nostræ œconomiam requisivisse Mediatorem Θεῶν ἁπάντων, ut sic conjungerentur partes dissidentes, Vnde præclare Irenæus: Propter suam ad utrosq; οὐκείων Mediator Dei & hominum utrosq; in amicitiam & concordiam reduxit, & fecit ut Deus reciperet hominem, & homo recuperetur à Deo. Christus itaq; reuera Mediator & Reconciliator hominum est, ut DEUS & homo, non tantum prout persona ejus ex diuina & humanâ naturâ constat, sed etiam prout opera redemptionis, mediationis, præstitit. Orthodoxorum Patrum consensum D. Horn. Diss. Theol. p. 2. Diss. i. f. 4. §. 146. & seqq. uberrimè adduxit, Augustini autoritas & sententia imprimis obstare uisafuit, qui inquit: In quantum homo, in tantum mediator, in quantum autem Verbum

lum non medius, quia equalis Deo & Deo apud Deum. Sed ipse Valentinus hunc nodum solvit, dum docet, quod Augustinus non velit in illo loco declarare Christum fuisse Mediatorem tantummodo ut hominem, sed etiam ut hominem, & non tantummodo ut Deum, Conf. D. Horn. l. 6. §. 163. & 170. & D. Gerhard. Exeg. l. 4. de Off. Christi.

§. 53. Sed ad IV. Membr. properandum erit, quod expendet Reconciliatoris lytron, quo ipse captivos redemit, & redemptos Deo reconciliavit, quod meritum mortemque Christi esse astringimus, praevis scripturae ductu Matth. XX. v. 28. ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἦλθε δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτῆς λύτρον ἀντὶ πολλῶν ἰ. Tim. II. v. 6. Ὁ δὲ θεὸς ἑαυτὸν ἀντιπαιστήριον ὑπὲρ πάντων, Eph. c. V, v. 2. χρεὶς παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ θεῷ, ἕως ὅσμην ἑνωσίας, Adjungi his congruè queunt loca, quae lytron exprimentur Ebr. c. IX. v. 12, ἰ. Pet. I. v. 10. Apoc. V. v. 9. Typicè etiam hoc adumbratum est in fœdere anti quo, ubi sacrificiorum sanguis dicitur venire pro animabus hominum, namque expresse hoc axioma legitur, sanguis est propitiatio pro vitâ Lev. c. XVII, v. 11, Conf. Ebr. c. IX, v. 22.

§. 54. Hanc lytri perfolutionem ut evidentius illustremus, ponderandas censemus voces à Spiritu S. usurpatas, sc. Emissionis & Redemptionis, quae sanè aliquod interveniens pretium involvunt & φλουαρίαν Photiniana satis evertunt, Gal. c. III, v. 13. χρεὶς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν, quod & cap. IV. vers. 5, indicatur, ideo Christum esse sub lege factum, ut illos qui ante sub lege erant, redimeret, ἐξαγοράσῃ ἰ. Cor. VI, v. 20. ἡγοράσθητε γὰρ τιμῆς Luth. emphat. Ihr seyd thewer erkauft. Velut autem ipsa indoles & natura emissionis, quae ob pretij interventum donationi rite contradistinguitur, necessariò interveniens aliquod pretij indigitat, ita & concordant voces in utroque fonte emissionem significantes, In Ebraeorum fontibus occurrit Rad. קָדַם cujus significata correspondere dictis hinc inde patebit, Conf. Gen. XLIII, v. 2. & XLI, v. 36. Deut. c. II, v. 6, (ubi unica tantum eximenda est emtio, quae à spiritu tanquam inuistrata commendatur Ela LV. v. 1.) In Graeco textu concordat vox ἀγοράζειν, quam lege & expendit Mat. c. XXV, v. 5, c. XXVIII, v. 7. Marc. VI, v. 36. & cap. XVI, v. 36. & alibi passim. Non itaque nudam acquisitionem vox illa infert, sed quae fiat certi pretij interventu.

§. 55. Hoc ipsum aperte etiam declarat Vox Redemptionis, dum Christus non tantum hinc inde nos redemisse legitur Luc. c. I. v. 30, Rom. III

Rom. III, v. 24, Eph. I, v. 7. Col. I, v. 14, & i. Pet. I, v. 18. sed ipsa quoq; dicitur redemptio. 1. Cor. I, v. 30. Sed habent tenebras quas huic luci offundunt veritatis olores, clamitant etenim *non infrequens esse in scriptura Redemtionem absq; pretio esse peractam, adeoq; talem & hoc loco propugnant, & Metaphoricum duntaxat fuisse pretium arbitrantur*; Sed prius te- lum absq; difficili negotio eliditur, veluti namq; lubentes largimur, reve- ra quandoq; occurrere Metaphoricam vocis redemtionis significatio- nem, in quâ interveniens pretium haud reperitur, qualis erat Ægyptia- ca redemptio Exod. c. XV, v. 13. Deut. c. VII, v. 8. Conf. Esa. XXIX. v. 22. ita in spirituali hac redemtionem per Christum factâ, ob apertissimam ly- tri expressionem in scriptura demonstratam, à propriâ vocis acceptio- ne discedere nunquam licebit. Posterius quod concernit, observatu utile est, quod lytron Metaphoricum in hac redemtionem locum reperire haud queat, cui rei illustrandâ vel unicum D. Petri effatum sufficiens erit, *Non inquit, auro & argento corruptibili, redempti estis* (quo quidem pretio aliâs liberantur captivi) *sed ἀίματι sanguine, neq; illo vulgari, sed τιμίω, non agni communis, sed ἀμῶν ἀμώμω καὶ ἀσπίλῃ χριστῷ*. Sed quid opus verborum apparatu? Velut captivitas debitumq; nostrum haudqua- quam fuere Metaphorica, sed satis propria & realia, ita & redemptio atq; lytri persolutio haudquaquam Metaphorica esse debuit.

§. 56. Detestamur ergo eos, qui pretiosum illud λύτρον aded pedibus conculant Ebr. c. X, v. 29, ut abnegent Dominum, qui ipsos mer- catus est 2. Pet. II, v. 1. Gratissimâ potius mente nos deprædicamus, quod tanto sumus emti pretio, & liberati ab execratione legis Gal. c. III, v. 13, velut nostris claudis, & ab iniquitatibus, Tit. II, v. 14. velut laqueis nos cōstringentibus, & ex manu reliquorum hostium, Luc. c. I, v. 71. Neq; verò titivilitio digna est illa Socini instantia, absurdum istud hinc subse- qui, quod diabolo sit pretium persolutum cum ab illo captivi fuerint li- berati, Col. I, v. 13. Soli namq; Deo peccavimus velut Judici offenso & iustissimo, Ps. LI, v. 6. cui etiam soli lytron fuit solvendum haudqua- quam verò ministro vel tortori, qui & ipse pro suis delictis immanibus dignas luet pœnas.

§. 57. Sed versipellis viperarum generatio gyros hinc inde quarit, acriter etenim Photiniana factio propugnat has nebulas, non fuisse illum scopum mortis Christi, ut pretium solveret pro nostris delictis, sed meram fuisse præparationem ad sacerdotium, & futurum sacrifici- um, quod ipsum non in terra sed in caelo demum peractum fuerit. Hinc

Cateches. Racoviensis ad præviã quæst. Annon Christus sacerdos fuerit antequam in celos ascenderet, ita respondet: Non erat, quod ipsum & præcedenti quæst. illustrat, ubi declarabatur, tale requiri tabernaculum, qualis Christus fuerit sacerdos, cumq; sacerdos fuerit immortalis, & sacrificium prorsus incorruptibile, Tabernaculum quoq; æternum hunc sacerdotem intrare debuisse, quod cum in terris non esset, ideo Christum profectum fuisse in celum, quod illustrat ex Ebr. VII, v. 26. & c. VIII, v. 4. Concludit ergo ipsam Christi mortem non fuisse ipsum sacrificium, sed viam quandam & præparationem ad illud peragendum. Conf. Ostoro l. in Institut. p. m. 325 qui hoc notatu dignum affirmat, quod, velut antiqua sacrificia non illo tempore perfecta fuerint, quando immolabantur, sed tum demum quando sanguis in sanctum sanctorum fuit oblatus, ita & Christi sacrificium non isto tempore fuisse peractum, quando crucifixus ac mortuus fuit sed tum demum, quando celum ingressus est, & Deo seipsum exhibuit. Vide & Socin. Institut. p. 132.

§. 58. Verùm hæc figmenta sunt, quæ illi ex proprio hausere cerebello, adhibito rationis cœcutientis ductu. Error est, & grandis quidem, dum affirmant mortem præparationem dumtaxat fuisse ad futurum sacerdotium, & sacrificium non fuisse consummatum ante ascensionem, Reclamat scriptura, quæ pronunciat, quod Christus seipsum obtulerit *ἑωρα* Eph. V, v. 2. ubi mors non dicitur præparatio ad oblationem & *ἑωρα* sed ipsa nuncupatur *ἑωρα*, ipsa *ἀεὸς πορὰ* (nequaquam enim divellendæ sunt voces ab ipso spiritu combinatæ, quamvis hoc tentet. Catech. Rac. l. c.) Conf. Ebr. c. V. v. 6. Ubi sacerdos in diebus carnis suæ dicitur deprecationes cum clamore valido obtulisse, Idem confirmatur Ebr. c. VII, v. 27. imprimis Ebr. c. IX, v. 25. 26. Non debuit sapiens se offerre, (alioquin oportuisset sapiens illum passum esse, à jactō mundi fundamento) sed nunc semel in consummatione seculorum ad peccati remotionem, per suam immolationem patefactus est.

§. 59. Ast obvertunt, mactationem fuisse tantum præparationem, dehinc verò sacrificium peractum fuisse, ipsâ oblatione sanguinis in sancto sanctorum, hinc Schmalz. Quemadmodum omnia ea, quæ Pontifex V. T. faciebat in pecude mactandâ, priusquam in sanctum sanctorum ingrederetur, apparatus tantum erat ad futurum sacrificium, sic etiam ipsa Jesu Christi mors præparatio tantum quædam ad illius sacerdotium fuit. Sed hoc omnino inficiamus, Primitus namq; certum est, quod omnia quidem sacrifici-

sacrificia fuerint typi atq; umbrae unici sacrificij Christi, attamen omniū sanguis non allatus est in sanctum sanctorum, Conf. Lev. c. IV, v. 5, 16 & c. VI, v. 30. Unde colligere promptum est, non illam sacrificij cuiuscuq; indolem & rationem fuisse, ut sanguis in sanctum inferretur, ceteroquin istiusmodi sacrificia allegata è verorum sacrificiorum censu forent exigenda. Accedit præterea, quod in solenni & anniversario sacrificio Lev. c. XVI. legamus expiationem non omnimodo fuisse completam vel in solo sancto sanctorum, neq; in solo sancto, (quod etiam Pontifex expiavit, priori expiatione in sancto sanctorum peracta) sed tum demum, quando omnia fuerunt peracta, quæ ad Dei præscriptum isto die peragenda erant, adeoq; expiatio ad solam actionem, quæ in sancto sanctorum fuit peracta, non est restringenda. Conf. D. Calov. in Exam. Novæ declarationis Crellij de causis mortis Christi.

§. 60. Disquirendum verò ultimo, An hoc lytro mortis Christi fuerit causa meritoria nostræ Reconciliationis, & peccatorum remissionis. Egregia videntur primâ fronte quorundâ asserta, quasi magnificè sentiant de hoc lytro, Ita enim ipse Socin. in Animadvers. Extemp. adversus Johannem Niemojev. th. 7. p. 37. inquit, Uterò concedit Socinus, non modo mortem & sanguinem Jesu Christi pro nobis fuisse oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis, verum etiam hanc hostiam pro peccatis nostris oblatam dici posse, i. e. in hunc finem, ut peccata & iniquitates nostræ emundentur & remittantur. Verùm quando pressius urgentur ut exprimant rationem, quâ remissio peccatorum dicatur finis mortis Christi, aliter eam explanant. Conf. Socin. Diss. de Off. Christi th 36. & 38. Schmalz. de divin. Jesu, p. 61, &c. Socinus quidem arbitratur, eatenus tantum mortem Christi ad remissionem peccatorum comparandam facere, quatenus nos impellit ad conditionem, sine quâ DEUS nobis peccata remittere nolit, h. e. ad emendationem vitæ, (quæ tamen opinio Scripturæ maximè adversatur, docenti quod remissio peccatorum sit gratuita, neq; ullatenus à nostra pendeat qualicunq; operatione vel vitæ emendatione.) Hanc verò Crellio non satisfecisse declarationem D. Calov. docet in Novæ Declarat. de Causis mortis Christi Crelliana examine c. 8. Accumat E. Crellius Christum ratione mortis suæ in S. litteris considerari, non ut eum, qui nostro velut nomine Deo quippiam præbet, sine quo is nolit nobis quid concedere, sed ut Deo subordinatum considerari, quod duplici ratione fieri explicat. quod sc. mortem subierit, vel quatenus Mediator, vel quatenus Sacerdos. Peccatè verò mediatio-


diationis munus in solitariâ subordinatione DEI collocat, (licet enim illam subordinationem nunquam inficiemur, solam tamen exhaurire munus Mediatoris, negatum imus) cum tamen isto imprimis nomine Christus Mediatoris officio gaudeat, quod nostri loco aliquid præstiterit, scil. ἀντὶ ἡμῶν persolvendo, absq; quo pars nobis adversa per illum Mediatorem haud potuit placari, Matt. XX, v. 28. Mediatoris enim est, ut se sistat inter partes dissidentes, easq; reconciliare satagat, quod Christus reverà præstitit, non tantum laborando, Esa. XLIII, v. 24. sed & vitam impendendo, Act. XX, v. 28. Perversè deniq; sacerdotale munus, invertere allaborat, dum reipsa Christum talem Sacerdotem fuisse affirmat, qui Dei nomine nobis aliquid præstet, cum nihil quid in terris præstiterit, quo Deo aliquid hominum nomine obtulerit, sed oblationem demum in cælo nostro nomine esse peractam; quæ omnia à veritate remotissima sunt.

§. 61. Fraudulenter hanc lytri solutionem s. satisfactionem opponit merito Christi adversarij, qf. simul subsistere nequeant. quod si enim per Christum Deo satisfactum fuisse statuatur, meritum non habere locum arbitrantur, cum Debitor solvens creditori debitum propriè non mereatur gratiam, quia quæ jure debebat, expendat. Sed uti in solutione quæ proprii debiti nomine offertur, hoc agnoscimus, ita in alieni debiti solutione omnino locum habere negamus. Aliàs nullus foret locus merito, dum quis lytron exsolvit pro captivis.

§. 62. Plurima sunt alia, & propemodum infinita glaucomata, quæ novi isti hæresiarchæ accumulunt, quæ, simulac facultà Scripturæ accensâ examinantur, velut technæ, animos à veritate patefactâ abstrahentes, merito exterminantur. Nos hic pedem figentes IN & Redemptori nostro Unico, qui suo nos purgavit sanguine Ap. c. I, v. 5. ingentes solvimus grates, & ut per illam sanguinis effusionem exoptatissimam delictorum remissionem, Col. c. I, v. 14. & fidei metam, videlicet vitam & salutem æternam 1. Pet. I, v. 9. consequamur, ardentè suspiramus.

Sedenti in Throno & Agno benedictio & honor &
gloria, & robur in sæcula sæculorum,
AMEN.

✠(O)✠



voce enim cum fateri uiam personam in Christo, ve autem
& evacuare planè mysterium Redemptionis. Nam si sola
(ait) egit opera illa satisfactoria, ergo natura humana per se
inde supposita erat à divino supposito distincta, agere enim
Veruntamen si Scholasticorum & Pontificiorum opinio
nauerimus, re ipsa constabit, illos huic errori maximè affi
minus h. e. c. i. ita distinguit, ut ipsum quidem Mediatorem
quod operabatur opera Mediatoris, dicat, non fuisse De
hominem solum, sed utrumq; simul h. e. Verbum incar
pium tamen quo illa opera à mediatore fiebant fuisse na
nam non diuinam; tamen si enim (inquit) Deus incarnatus
patiebatur, obediebat, satisfaciebat, tamen hæc omnia fac
formam serui. Suffragatur Becanus p. 3 Theol. Schol. tr. r.
(inquit) secundum humanitatem est mediator, non secundu
Est contra Lutheranos, qui docent Mediatorem esse secundu
turam.

§. 52. Orthodoxa verò Christi Ecclesia constanter
diationis & Reconciliationis opus esse évεργειαν Θεου
Damascen. l. 3. de Orthodoxâ fide c. 19. Non enim
& finita natura tam grande opus efficere potuit, cum m
infiniti debuerit esse pretii & valoris, namq; inter reatu
nem proportio debebat intercedere, cum verè reatus ne
nitus, impingens in Dei iustitiam infinitam, actiones hum
sufficiebant; præterea mortem æternam, non nisi ipsa
erat Christus, Joh. c. XI. v. 25. & c. XIV. v. 6. absorbere po
am partim scripturæ Oracula jam dudum hoc confirma
v. 18. & Col. c. 1. v. 20. partim salutis nostræ economiam r
diatorem Θεὸν ἁρρωτων, ut sic conjungerentur partes diffi
præclare Irenæus: Propter suam ad utrosq; διεικτιών
hominum utrosq; in amicitiam & concordiam reduxit, & se
peret hominem, & homo recuperetur à Deo. Christus itaq; re
& Reconciliator hominum est, ut DEUS & homo, non
persona ejus ex diuina & humanâ naturâ constat, sed eiu
ra redemptionis, mediationis, præstitit. Orthodoxorum
sensum D. Horn. Disp. Theol. p. 2. Disp. 1. s. 4. s. 146. &
adduxit, Augustini autoritas & sententia imprimis obstat
inquit: In quantum homo, in tantum mediator, in quant

